



COMMENTATIONIS

DE

**VETERUM IN ARISTOPHANEM
SCHOLIORUM FONTIBUS**

CAPITA PRIORA.

QUAE

CONSENSU ET AUCTORITATE

**AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM
BEROLINENSIIUM**

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVI. MENS. JUNII A. MDCCCXXXVIII H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

OTTO SCHNEIDER, STRALSUNDENSIS.
SEMIN. PHIL. OLIM SODAL.

ADVERSARIJ ERUNT:

DR. R. MERKEL, J. RICHTER, H. JACOBY, PHILOLOGI.

SUNDIAE,

SUMPTIBUS CAROLI LOEFFLER VIDUAE.



De
**veterum in Aristophanem scholiorum
fontibus.**

Prolegomena.

Argumentum pertractare aggredior ex intimis maximeque reconditis graecarum litterarum latebris depromptum itaque vel leve specie vel utilitatis exiguae, ut paene verear ne praefanda mihi venia sit, quod obscura parumque utilia et ipse tractaverim et lectores ut mecum tractent aliquo bonarum horarum dispendio invitare videar. Etenim de scholiorum ad Aristophanem illustrandum a scholiastis olim conscriptorum fontibus quum expositurum me promiserim, nihil videbor expromere posse nec quod ad ipsius Aristophanis fabulas, divini fetus ingenii, penitus cognoscendas quicquam valeat, nec — quae sola hic istud quicquid est damni resarcire quodammodo possit disputatio — quod veterum Aristophanis interpretum, clarorum virorum, quanta fuerit industria et eruditio via et ratione demonstret; nunc enim totus sum in obscuri hucusque et vel inter veteres parum cogniti grammatici intermortua fere memoria instauranda; nihil nunc de Aristophane disputabo, nihil de ejus fabulis vel emendandis vel explicandis; denique vel nihil vel perpauca, eaque obiter magis quam data opera exposita, de doctis poetae interpretibus, qui certatim veteribus hominibus faciliorem ad Aristophaneas fabulas aditum parare studebant. — Verum enim vero in hac tanta argumenti mei exilitate habeo tamen quo mea commendem studia atque inertiae crimen a me defendam, qui demonstraturus sim antiquiorum Aristophanis interpretum neminem scholiastas legisse ipsos, eorumque placita his non innotuisse nisi ex unius libro utiliter conscripto, cui proinde soli par est gratiam nos habere, quod etiamnum tam multa tamque egregia recon-

ditae doctrinae frustula ad totam illustrandam antiquitatem ex scholiis Aristophaneis petere possimus. Neque enim displiciturum hoc commentandi genus eis omnibus persuasum habeo, qui in recentiorum narrationibus graeculorum sciunt quam caute sit versandum, ne qui proterva saepe fronte fidem habendam sibi clamare videntur testes eludant nos de ipsorum auctoritate securos; hanc autem doctorum virorum partem ubi iudices nactus ero, causam meam sustinebo facile, si in istud argumentum quomodo delatus sim narravero.

Fuit igitur quum accurate de ea quaestione commentari instituerem, quae est de Aristophaneorum fabularum per totam doctam antiquitatem condicione, sive illae doctorum grammaticorum curis criticis vel decesserunt magis magisque a pristina et genuina forma vel ad principem habitum denuo redierunt, sive vel accurata et sobria interpretatione debitam festivissimae facitiae laudem naetae sunt vel quorundam enarratorum levitate minus perspectae labem aliquam etiam in externa forma contraxerunt, ut in uno igitur loco conjuncta essent omnia, quae ad criticam aliquam contextus interpretationisque Aristophaneae historiam pertinerent talem, qualem in divino Prolegomenon opere de Homeri carminibus Wolfius inchoavit magis quam ad finem perduxit. Atqui ad eam quaestionem rite instituentem constat inter doctos unicum paene fontem esse scholia ea, quae e Marci Musuri Cretensis recensione primum in Aldino exemplari edita et deinceps a multis repetita passimque correctae sunt; quibus nostra memoria e praestantissimo codice Ravennate itemque e codicibus Venetis alia accessere simili vel etiam paulum saepe majore doctrina referta, quae tamen cum Aldinis in summa rerum plerumque consentiunt, ut eundem utrorumque fontem antiquum fuisse concedendum videatur. Sed quae praeterea circumferuntur hodie in Aristophanem scripta scholia, ea aut talia continent quae qui prioribus tantum labris graecas litteras attigerit conscribillare possit, aut quae ex Athenaeo, Suida, Eustathio, aliis petita ab ipsis demum editoribus vel conscripta sint tota vel breviori antiquiorum scholiorum summae tamquam maxima pars adjecta, id quod — ne quid de recentiorum lusibus dicam, — Juntinam secundam, ab Antonio Fracino Vrachensi adornatam imprimis attigit¹⁾. — Itaque quum in eam quam dixi rem intentus ad Aldina scholia ferebar, praestantissimis observationibus tam multas sine eruditione ulla et arte excogitatas videbam admixtas esse, ut eorum quoque quae vera tradi videban-

1) Cf. Bentleji Epistol. Phalarid. p. 22. coll. Hemsterhus. Aristoph. Plut. Praefat. p. XVII. Lips.

tur fides paululum vacillaret. Hinc nihil arbitrabar antiquius habendum, quam ut quae in universum scholiorum illorum auctoritas posset esse certissimis rationibus explorarem. Est autem certissima in talibus ratio ea qua satis antiquos optimaque notae fontes suppeditasse singula de quibus in quoque loco agitur apparet. Verum talis de fontibus quaestio quum alibi saepe difficilis sit et erroribus haud paucis obnoxia, tum in scholiis Aristophaneis magis etiam aucta difficultas est Musuri incuria, qui operae pretium non duxit monere, nec quid in quoque codicum suorum, quos plures habuit¹⁾, invenerit, nec qua ratione singulorum scholia codicum disposuerit et in unum conjunxerit; de his igitur atque talibus altum apud Musurum silentium, ut fuerint adeo qui eum maximam scholiorum partem conscripsisse ipsum suspicati sint²⁾. Qualem ego suspicionem nolim in tanta praesertim obscuritate ipse profiteri; quae enim causa est ut mentitum dicamus hominem esse, quum ita scriberet in fine scholiorum ad Avium fabulam³⁾: *Ἀριστοφάνους κωμωδιῶν ἑπτὰ καὶ τῶν εἰς αὐτὰς σχολίων, ἀρχαίοις συντεθέντων γραμματικοῖς, ἃ δὴ σποράδην ἐν ἀντιγράφοις κείμενα διαφόροις καὶ πεφυρμένως συνείλεται τε καὶ ὡς οἶόν τ' ἦν ἐπιμελέστατα διωρθῶται παρὰ Μάρκου Μουσούρου τοῦ Κρητός, — aut quum haec toti operi praefaretur⁴⁾: τὰ δὲ ὑπομνήματα ταῦτα καὶ πόνον πολλοῦ καὶ χρόνον ἔδειτο μακροῦ εἴ τις αὐτὰ πρὸς τὸ βέλτιον ἐγχειροῦν μεθαρμόσασθαι σχῆμα, ὃν θατέρου μὲν ἐπεκράτησαμεν, καίτοι κρείττονος ἢ φέρειν. περὶ στενὸν δὲ μοι κομιδῆ τὰ τοῦ χρόνου συνέβη. οὐ γὰρ μόνον τὰς ἐξηγήσεις συνείρειν ἠργολαβήσαμεν πεφυρμένως τῶς, ὡς ἴστε πού καὶ αὐτοί, ἀλλὰ καὶ τυπωθείσας ἤδη ἐπετέτραμμεθα διορθοῦν, — quae profecto non ejus sunt verba qui sua ediderit scholia. — Sed ea ipsa verba quae, quoniam sola sunt quae huc pertineant, apposui integra, quum in edendis scholiis qualem rationem Musurus instituerit non satis indicent aperte, ad conjecturas confugere cogimur, quibus Musuri in hisce industriam clariore quadam si fieri possit imagine describamus. Quam in rem non minimam habet utilitatem eorum scholiorum comparatio, quae in Ravennate codice ad illustrandas Thesmothiazusas scripta Bekkerus repperit; quippe*

1) Hoc propter Hemsterhusium moneo, qui Praef. Plut. p. XVI. Lips. num unus pluresve codices Musuro ad manus fuerint dubitavit. Nostrum iudicium nititur ipsius Musuri verbis, quae mox ascribo.

2) Jacobs. Anthol. graec. VI. Proleg. p. CXXIV. quo paulo cautius Küsterus iudicavit, Praef. Arist. fol. 2: „scholia Musuri = partim ab ipso Musuro hinc et inde interpolata mihi videtur.“ —

3) Apud Dindorf. Arist. Tom. X. p. 511.

4) Apud Beck. Comm. in Aristoph. I. Praef. p. LXXVII.

ex hisce colligi potest, qua ratione in suis codicibus posita scholia Musurus invenerit. Erit igitur in rem nostram, illorum habitum, scholiorum, paulo accuratius contemplari.

Ac primum quidem non unius — non dico veteris, ejusdam grammatici sed scholiastae — manus in illis conspici, sed plurium, ad minimum trium conjuncto studio deberi, quibus in Ravenate libro Thesmophoriazusae illustrantur, facillime apparet; quod ut demonstrarem, non opus est ut plura ejusdem generis sedulo conquiram, quale hoc est quod in schol. ad v. 1. *Κλειτώ* mater appellatur Euripidis, in scholio autem ad v. 910. Euripides *Κλειτοῦς υἱόνος*; sed facilius factum Bekkeri diligentia negotium est, qui quae disjuncta in codice invenit scholia ad eundem versum scripta, item separatim posuit; hinc statim in oculos incurrit duorum scholiastarum interpretamenta legi in scholl. ad hosce versus 261, 401, 403, 935, in quibus scholiis eandem sententiam duo scholiastae diversa ratione exponunt; sed ad v. 126. extat scholion, in quo duorum interpretum sententiae in diversas partes abeunt. Praeterea huc pertinent alia nonnulla scholia eadem atque priora illa ratione composita, quae vel tota vel maximam partem ascribam, ut maculas simul quibus contaminata sunt eluam. Schol. 2. ad Thesm. 21: *καὶ διὰ τούτου φαίνεται ὑπονοῶν Εὐριπίδου εἶναι τὸ „σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσία.“ ἔστι δὲ Σοφοκλέους ἔξ Διάντος Λοκροῦ. ἐνταῦθα μέντοι ὑπονοεῖ μόνον, ἐν δὲ τοῖς Ἡρωσιν ἄντικτος ἀποφραίνεται. καὶ Ἀντισθένης καὶ Πλάτων Εὐριπίδου αὐτὸ εἶναι ἠγούνται, οὐκ ἔχω εἰπεῖν ὅτι παθόντες. ἔοικε δὲ ἦτοι πεπλανημένος ἢ (hoc delendum) συνεξαπατηῖσαι τοὺς ἄλλους, ἢ (hoc add.) ὡσπερ ὑπονοουσί τινες συμπτώσεις γενέσθαι (hoc de meo addidi) τῷ τε Σοφοκλεῖ καὶ τῷ Εὐριπίδῃ, ὡσπερ καὶ ἐπὶ ἄλλων τινῶν¹⁾, — quae ego correxi ex eo scholio quod in eandem sententiam paulo brevius disputat et apud Bekkerum primum ad h. l. est. — Schol. ad v. 80. (ἐπεὶ τρίτη ὅτι Θεσμοφορίων ἢ μέση): *τοῦτο τῶν ζητουμένων ἐστὶ, πῶς καὶ τρίτην καὶ μέσην εἵπεν. κα' γὰρ ἄνοδος, εἴτα ἰβ' νηστεία, εἴτα τρισκαιδεκάτη καλλιγένεια, ὥστε μέση μὲν εἶναι δύναται τρίτη μὲν οὐ, ἀλλὰ δευτέρα. ἀλλ' οὐδὲ ψυχρεῦσθαι τις δύναται λέγων, ὅτι τρίτη ἢ τρισκαιδεκαταία, ὡς ἐκαταία ἐκατηβόλος σελάνια (scribendum ὡς· ἐκαταία κ. τ. λ., unde optimus enascitur versus Phlaeceus hendecasyllabus), ἠγοῦν (hoc vel simile quid addendum) ἐκαταδεκαταία²⁾. ἢ γὰρ μέση οὐκ ἔστι γ', ἀλλὰ δω-**

1) Vide de omni ista re Brunck. ad Sophocl. Aj. Loer. frag. 2. Dindorf. frag. Aristoph. pag. 136. coll. Boeckh. de graec. tragoed. princip. p. 123. et p. 247. Groen. van Prinster. prosopogr. Platonica p. 158.

2) Ejus usus poterat scholiasta celebriores quoque testes citare Hesiodum Op. et D. 698. Göttil. πέμπτην ἔπει (i. e. πέμπτην καὶ δεκάτην; Pindarum frag. Thren. 6. πέμπτη δὲ τρεῖς καὶ δέξ' ἀνδρας· τετράτην δ' αὐτὸς πε-

δεκάτη. ἢ λύσις οὖν ἤδε. δεκάτη ἐν Ἀλμιοῦντι Θεσμοφορία ἀγεται ὥστε τρίτην μὲν ἀπὸ δεκάτης ἰβ' εἶναι, μέσην δὲ μὴ συναριθμουμένης τῆς δεκάτης· τοῦτο δὲ αἰνιγματώδης κατὰ Καλλιμαχον ἂν τις φράσῃ, ἐνθα μὲν τρίτη λέγεται, συναριθμεῖν τὴν ι', ἐνθα δὲ μέση, μηκέτι συναριθμεῖν. καὶ ὅπου γὰρ λιμώττουσιν, ἀστεϊζόμενοι τὴν μέσην τῶν Θεσμοφορίων ἀγειν φασίν, ἐπεὶ αὐτὴ ἢ νηστεία¹⁾, — quae omnia in breviorē summam contracta in altero quoque ad istum locum scholio prostant. — Schol. Thesm. 101: *μονωδεῖ ὁ Ἀγάθων ὡς πρὸς χορὸν²⁾, οὐκ ὡς ἐπὶ (legend. ἀπὸ) σκηνῆς, ἀλλ' ὡς ποιήματα συντιθεῖς, διὸ καὶ χορικά λέγει μέλη αὐτὸς πρὸς αὐτόν, ὡς χορικά δέ, — at in eandem sententiam is quoque disputat, qui primum ad h. v. scholium confecit. — Schol. Thesmoph. 346: ἢ καὶ δέχεται δῶρα παρ' ἐταίρας ἐπὶ τῷ προδιδόναι καὶ συγχωρῆσαι αὐτῇ τὸν φίλον. [γρ. καὶ] ἑτέρα (scrib. ἑταίρα) καὶ ἐστὶν ἕτερος νοῦς, quae supplevi et emendata dedi ex altero in hunc versum scholio, quod eadem narrat: *ἄλλως. εἰάν μὲν] ἄνευ τοῦ ι γρ. ἑτέρα (leg. ἑταίρα), οὕτως — εἰάν δὲ σὺν τῷ ι κ. τ. λ.* — Ad Thesmoph. 568. item duo in eandem sententiam conspirant scholia, sed alterum aliquanto longius: *ἐπεποίητο γὰρ ἐκκλησία. τὰς δὲ σκηνας διὰ μέσου εἰρημεν. καὶ γὰρ πρὸς τῇ σκηνῇ πυκναὶ ἦσαν, ὡς καὶ αὐτὸς Ἀριστοφάνης μὲμνηται τούτου, — ubi corrigendum arbitror: πρὸς τῇ πυκνῇ σκηνῇ ἦσαν, ut respexerit scholiasta ad Thesm. 624 συσκηνήτρια (ubi schol. σκηνας γὰρ ἐνανταῖς ἐποιοῦν πρὸς τὸ ἱερόν); vereor enim, ne paulo negligentius Dindorfius egerit³⁾ qui de σκηνὰς καταλαμβανούσας, deperdit Aristophanis fabula, cogitasse scholiastam sibi persuasit. — Praeterea apud Bekkerum aliquoties conspiciuntur hocce signum: — quo itidem duo diversi auctoris scholia disjunctuntur; vid. ad v. 339, 585, 600, 624, 710, 772, 773, 781, 824, 928, 941, 1059, 1197; quibus adde scholia ad v. 747, ubi ultimum hoc est: *τοῦτο ἔθος ἦν Ἀττικοῖς λέγειν τὰ ἔτη καὶ (legend. κατὰ) τὸν ὑπερπίπτοντα ἀριθμὸν ἀπὸ τῶν Διονυσίων. — tum schol. ad v. 947: τὸ παίξωμεν οἱ Ἀττικοὶ παίσωμεν ἔλεγον καὶ τὸ παίσωμεν πάλιν παίξωμεν: — καὶ πολυπαίγμονος ὀρχηθμοῦ, ubi scribendum videtur —***

διάθη (i. e. ab decimo quarto); id. frag. incert. 54. τέμν' ἔπεφεν — δῶδεκ', αὐτὸν δὲ τρίτον (nisi hic quidem exciderunt reliqua).

1) In ultimis si recte grammaticum intellexi, hoc voluit, quum νηστεῖαν i. e. Thesmophoriorum diem tertium, dicerent μέσην, allussisse quasi ad μεσότης Atticos, adeo ut e contrario jocum peterent. Parum haec intellexit Preller. in Zimmerm. diurn. 1835. No. 98. p. 787. qui aliam quoque scholii partem tentavit injuria.

2) Cf. schol. Nub. 1356: οὕτως (πρὸς χορὸν λέγειν) ἔλεγον, ὅταν τοῦ ἱποκριτοῦ διατιθεμένου τὴν ἡσάν, ὁ χορὸς ὀρχηθῆται.

3) Dindorf. frag. Aristoph. p. 172.

καὶ τὸ παίσω πάλιν παιξοῦμαι (vel παίξομαι)¹⁾: — καὶ φιλοπαίγμονος ὁ.²⁾ Sed quae praeterea isto signo ornata sunt scholia, ad diversas contextus voces spectant, ut in scholl. ad 131, ubi secundum schol. ad *κατεγλωττισμένον* pertinet, alterum ad *μανδαλωτὸν* versu 132, quod eadem fere ratione explicatum est in schol. ad Acharn. 1163; idemque statuendum de schol. ad v. 838. — Postremo, id quod imprimis memorabile est, sunt inter Thesmophoriazuserum scholia, quae solemnī illa voce *ἄλλως*, diversorum de eadem re scholiorum indice, dirempta sunt; vid. schol. ad v. 393, 440, 948, 516, ubi prius scholium e schol. Vesp. 1111. et schol. Pac. 199. ita redintegrari potest: *Θεόφρατος [προάνθησιν φησι τῆς πίτυος καὶ τῆς πεύκης³⁾. Ἐρατοσθένης ἀγγεῖον τοῦ σφ[ηκίου ἢ κηρίου] τῆς μελίσης, ὅπου οἱ σκώληκες [τετραίνου]σιν, κ. τ. λ.⁴⁾*. His addenda scholia ad v. 389 et ad 747, ubi quum item duo scholia voce *ἄλλως* interposita disjunguntur, tum primi cujusque scholli iterum duae sunt partes, diversi haud dubie auctoris, ut trium diversorum manus hominum appareant; idemque fortasse etiam statuendum de schol. ad v. 804, quod voce *ἄλλως* in duas divisum partes est, quarum prima de *Ναυσιμάχη* agit, sed ita agit, ut quum primum *πέπλασται τὸ ὄνομα* dictum sit, in fine subjiciatur: *Ναυσιμάχη δὲ πρόρη καὶ Σαλαβακχῶ*, — quae idem homo non videtur scribere potuisse. — Haec qui contemplatur facile cavebit ne errorem erret in quem delabi primum est, ubi de Musuri in edenda scholiorum congerie ratione quaeritur. Neque enim defuisse scio, qui ita sibi persuaserint, si quando in Aldina collectione plura in eundem versum scholia extant sive dirempta voce *ἄλλως*, sive in unum conflata, haec Musurum demum e diversis codicibus in unum locum coegisse istudque *ἄλλως* de suo addidisse aut ubi addendum fuerit omisisse; quod etsi ipsius Musuri verbis supra transcriptis posset qui id agere vellet quodammodo firmare, apparet tamen nunc quam antiquis jam temporibus eadem invaluerit ratio, ut ultro nascatur suspicio Musurum in hac quidem parte a codicibus pependisse fere totum, diversaque scholia non tam e pluribus codicibus transcripsisse vel disjunctis primum, quam e singulis codicibus servata codicum in digerendis diversorum auctorum scholiis ratione fideliter sumpsisse. Neque huic suspicioni ab omni parte adversantur quae ipsum Musurum de suo in digerendis plurium codicum scholiis labore profectum vidimus; namque suo quaeque versui scholia tribuere

1) Cf. Buttmann. Gr. gr. max. I. p. 381.

2) Homericus versus particula est ex Odys. 23, 134.

3) Cf. Theophrast. hist. plant. 3, 3, 8, p. 145. Schneid.

4) In secundo scholio: *νύκταρος κλεῖται τὰ κοιλώματα τῶν μελινηρίδων* — legendum videtur: *τῶν μελινηρίδων*.

πεφυρμένως per codicum oras diffusa, erat sane laboris alicujus quem subiisse se gloriari posset; tum si statuimus, quod est sane maxime probabile, Musurum codices habuisse non tam tales, in quibus omnes quas edidit fabulae idonea stipatae scholiorum congerie scriptae fuerint, quam tales, qui nonnullas tantum quisque descriptas scholiisque illustratas tenuerint: possunt illa verba in eum quoque sensum intelligi, ut singulas fabulas cum suis quamque scholiis ad certum quendam ordinem revocasse hominem putemus, quode infra disputabo pluribus. — Interim tamen non negaverim in uno alterove scholio, in quo plures observationes in eadem sententiam deque eadem re scriptae sunt, singulas observationes e diversis codicibus Musurum sumpsisse, modone ad omnia ejus generis scholia quisquam hoc pertinere velit neve Ernestio¹⁾ assentiendum putet, qui sibi persuaserat „omnia, quotquot in libris suis repperisset, in unum confudisse, et per particularum *δέ* et *οὐν* vincula copulata et in hunc pulcherimum scilicet cinnam commixta Aldo Manutio edenda dedisse Musurum Cretensem,“ — quae profecto et injustissima est et audacissima criminatio nec potest adtingere hominem et doctum satis et ad vitia expellenda, ipso fatente, promptum paratumque, quem praesertim in antiquis suis libris saepissime illud *ἄλλως*, diversorum indicem scholiorum, invenisse probabile est, quod ut negligeret exemplum ubi occasio tulit, quam potuit causam habere satis idoneam?

Hoc primum fuit in quo Musuri versabatur industria; alteram negotii sui partem ipse praedicat scholiorum emendationem. Eam quam saepe quaeri oportuerit ex iisdem illis Thesmophoriazuserum scholiis augurari licebit; neque enim multo comptiores et a maculis liberiores Musurus in suis codicibus quam Bekkerus in Ravennate libro scholiastas invenisse videtur; quem librum quot quantave vitia commaculent, ex eis quae supra e Thesmophoriazuserum commentario produxi corrupta colligi potest; hic addam alia, ut leviora etiam vitia haud pauca Musuro quoque tollenda fuisse probabile reddam ostendamque tamquam in speculo aliquo. Ita in schol. ad v. 2 cum alia medica egerent manu, tum ab initio *ἔξωθεν*, cujus nec usus ad interpretandum, nec causa ulla est, sed quod una cum reliquis ita debet scribi: *ἔξ ἔωθεν* (vel certe *ἔξ ἔωθινού*, quod in contextu est) *ἐν κύκλῳ περιάγων [ὡςπερ] ἐν ἄλωσι. καὶ τὸ τύπτειν καὶ* (hoc dele) *ἄλοῶν λέγουσιν κ. τ. λ.²⁾*; — in schol.

1) Ernest. Praef. ad schol. Arist. Nub. apud Dindorf. adnot. ad schol. vet. Arist. T. XII. p. 274 seq.

2) Respexisse videtur ad Ran. 149, ubi etiam gloss. Paris. *ἡλοῦσιν* — *ἐτυψεν*. Ceterum vide etiam Gramm. Bekkeri in Anecd. I. p. 284, 3, tum Bachmanni, II. p. 373, 33 seq.

ad v. 273 scribendum Ἀθηναῖος, δε γ' εἶχεν υἱός¹⁾. — in schol. ad 648: διουσμονίσαι vel διουσμίσαι. — in schol. ad 746: ἐτη pro ἐπη. — in schol. ad 689: διαβάλλει δὲ τὰς γυναῖκας, ὡς ἐν μάχαις αὐτῶν τοὺς ἀσκούς τῶν οἴνων κατεχοσῶν, — scribendum: ὡς ἐν μασχέλαις — κατεχοσῶν, i. e. ut quae in sinu ferant etc. — Atque talibus vitis ut in Ravennate codice adjuncta sunt alia alius generis ita in Musuri quoque codicibus accessisse probabile est, talia dico quae vel litteris nonnullis vel totis vocibus e contextu delapsis oriuntur; ejus quoque generis possunt quod quidem ad Thesmothorizusarum scholia pertinet, vel ex eis quae supra posui idonea exempla peti, quibus unum nunc adjicio schol. ad Thesmoth. 1214: διέβαλε] ἐξηπάτησε. παρὰ τοῖς Ἰωσιν. . . . οἰσιν διαβάλλει ταισο θεῖος, — ubi scribendum: παρὰ τοῖς Ἰωσιν. [καὶ αὐτὸς ἐν] ὄρισιν. διαβάλλεται σ' ὁ θεῖος, qui Avium. versus est 1648 Bekk. ubi cf. schol. itemque Suid. sub διαβάλλεσθαι²⁾. Quibus locis facilius est medelam adhibere, quod ulcus in propatulo est litteris non omnibus expulsis; quod ubi factum est nullumque externum exstat lacunae vestigium, vitium fugit facilius, ut in schol. Thesmoth. 811: — τὸ δὲ ζεύγει ἀντι τοῦ ἀμάξαις ἐκφύρειν δεῦ. διὸ καὶ οὐκ εἶπεν οὕτως (ἀπλῶς?) πεντήκοντα, ἀλλὰ κατὰ πεντήκοντα, τὸ συνεχὲς ἐκφραίνων, — ubi sensu cassum istud διὸ est, cui praecessisse olim arbitror hoc vel simile quid: οὕτως γὰρ εἰώθασιν. διὸ καὶ κ. τ. λ. id ut novi scholii initium sit. — Hinc igitur conjecturam facere licebit quantas emendandi molestias subire Musurum oportuerit, quas quin revera subierit nec verba solum dederit non est quod dubitemus; illud autem jure dubites num et omnia sustulerit vitia, et quae voluerit tollere recte sustulerit; namque et sunt hodie plurima in scholiis Aldinis quae medicinam adhuc expectant³⁾, et quam infelicem parumque accuratam crisin Musurus exercere solitus sit ex ejusdem hominis castigationibus Hesychianis vel Schowii opera cognosci coepit.

Sed haec quidem hactenus; quae si quis sobrio et incorrupto secum judicio reputat, cavebit ne vel plus justo vel etiam parum tribuat Musuro, concedetque scholiorum editoris principis diligentiam et industriam non tam in totorum scholiorum forma immutanda, sive per se sola posita erant sive cum aliis conjuncta, quam in singulis scho-

liorum vocibus emendandis — vel etiam depravandis — versatam esse. Id cum in universum ei videtur tenendum esse, qui de singulis quibusdam scholiis quaerit, tum nobis praefandum fuit de scholiorum fontibus exposituris, ne quis Musuro cupiat tribuere nonnulla quae dudum ante ipsum posita erant ab aliis et tamquam a scholiastis profecta a nobis in testimonium vocabuntur. Sed ita munita via, rem ipsam quam mihi proposueram, aggredi possum tutior; viaque ac ratione demonstrabo, Symmachi commentarium Aristophaneum praecipuum fuisse nostrorum scholiorum fontem, veterum autem inter ea scholiorum unicum.

1) Cf. schol. Nub. 1001 Herm.

2) Cf. Herod. 5, 50. Gregor. Corinth. p. 733 c. not. int.

3) Hic paulo mitius et honorificentius quam supra de Musuro judicavit Ernesti l. l. p. 280: „saepe miratus sum — Musurum, cujus contra mentem fortasse multa ab Aldo expressa vitiose sunt, — corruptelas non — sustulisse.“

§. I.

Inter insignia ornamenta quibus Immanuel Bekkerus, indefessae vir industriae, litteras Aristophaneas auxit non ultimo loco habenda subscriptio quaedam est, quae in ejusdem scholiastarum editione comparuit, in fine scholiorum in Pacem: *ὄμην ὑμέναι' ὄ] οὕτως Ἠλιοδώρος. κενώλισται πρὸς τὰ Ἠλιοδώρου. παραγέγραπται ἐκ Φαινοῦ καὶ Συμμάχου*: — quippe hac primum subscriptione facultas data, de scholiastarum Aristophaneorum fontibus certiori ratione probabiliora disputare, quam quae ad hunc usque diem jacta potius sunt temere, quam via ac ratione exposita. Sunt autem illa verba sine dubio deprompta e Codice Veneto 474, unde Vesparum et Pacis scholia supplēvisse se Bekkerus memoriae prodidit ¹⁾. Namque praeter librum Ravennatem ille in edendis eis scholiis isto quoque Veneto codice ita usus est, ut quae inde supplēvit plurima sine codicis nota adjecerit, quum quae ex Ravennate addidit non minus diserte significarit ²⁾ quam ea, quae e Veneto codice 475 deprompsit; et quamquam in multis Ravennas cum Veneto consentire videtur, in talibus tamen Venetum solum suspicor Bekkerum secutum esse ³⁾, nec Ravennatem adhibuisse nisi forte ad enotandam aliquam minorem lectionis diversitatem. At ex eodem illo Veneto libro pridem similis quaedam subscriptio cum doctis fuit communicata a Villoisono, Prolegom. in Homer. Iliad. p. XIX, ubi in codicis Veneti 474 folio 43 se testatur invenisse haec: *κενόλλισται ἐκ τοῦ Ἠλιοδώρου. παραγέγραπται ἐκ τοῦ Φαινοῦ καὶ Συμμάχου καὶ ἄλλων τινῶν*, — quae e Villoisoni opere sumpsit Hermannus, Praefat. Aristoph. Nub. p. X. edit. alt., servato etiam scripturae vitio; neque enim dubitari posse videtur, quin *κενόλλισται* Villoisoni incuriae debeatur, qualis ab ipso non aliena est ⁴⁾, scriben-

1) Bekker. Praef. Aristoph. p. VII.

2) Cf. schol. ad Pac. 214, 277, 468, 681 etc.

3) Id imprimis apparet e schol. ad Pac. 277, ubi libri Ravennatis scholion primus edidit Invernizius Tom. II. p. 25, et accuratius Dindorf. T. X. p. 649; at apud Bekkerum multo longius legitur scholion, ornatum etiam aliqua lectionis diversitate, e Veneto 475 deprompta; — ut e Veneto 474 istud fluxisse certissimum sit. Alia sciens omitto.

4) Praeter ea, quae Bastius passim monuit ad Gregor. Corinth. vide etiam Bekkerum Praef. schol. Hom. Iliad. p. IV. Thierschium in Act. phil.

dumque ibi quoque sit *κενόλλισται*, ut Heliodorus metricus intelligatur, cujus versuum Aristophaneorum descriptionem in rem suam scholiastae converterint, non, interpres aliquis ejus nominis, de quo, si verum illud esset, aliqua saltem exigua, mihi crede, etiamnum in scholiis extaret mentio. Sed error in scriptura semel commissus continuo alium secum traxit interpretationis; namque ubi quis semel sibi persuasit, ex Heliodori cujusdam copiis sua conglutinasse scholiastas, is eisdem noluerit arbitrari descripsisse interpretationes ex Phaino et Symmacho; indeque factum arbitror, ut Godofredus Hermannus, vir summus, ad singularem plane ultimum verborum interpretationem delapsus sit, quae qualis sit ex ipsius viri summi verbis facile cuique patebit; namque de Ravennate et Veneto codice 474 disserens l. l. „etsi,“ inquit, „hi duo codices merito ut optimi et emendatissimi laudantur, tamen qui ubique eorum scripturam praeferret, hic illic non quod Aristophanes, sed quod emendator grammaticus posuisset, reciperet; ac legitur in Veneto fol. 43 *κενόλλισται* etc.“ — unde Hermannum conijcimus putasse, qui ista subscripserit indicare voluisse, transcripsisse se fabularum Aristophaneorum contextum eum, qualis Phaini, Symmachi aliorumque correctionibus evaserit. Verum huic interpretationi obmoven- dum altum istud in scholiis de Symmacho critico silentium, ad quale provocare testimonium etsi errori saepe vicinum est, hic habet tamen vim aliquam, ubi in triginta amplius locis citatum Symmachum semper de interpretatione, nusquam de sua aliqua conjectura monuisse videmus ¹⁾. Quod autem maximum est certissimamque ad persuadendum vim habet: tertiam quandam ejusdem generis subscriptionem ex eodem Veneto codice communicare cum doctis per Bekkeri liberalitatem nobis licet, quae quo sensu priores intelligendae sint apertissime doceat; sic enim Bekkerus in fine scholiorum ad Aves scriptum invenit: *παραγέγραπται ἐκ τῶν Συμμάχου καὶ ἄλλων σχολίων*, quae eadem observatio dudum e codice Leidensi, inventa item in fine Avium fabulae, a Dobraeo producta est ²⁾, atque nec ipsa potest nisi in hunc sensum intelligi: „comportata scholia esse ex Symmachi aliorumque commentariis;“ — nec ut reliquas duas subscriptiones interpretemur aliter patitur.

Quae si contemplamur, facile pro se quisque codicem aliquem satis vetustum sibi finget, in quo, quum fabulas

Monac. II. 4. p. 374 — [Sic olim judicaveram; nunc autem Bekkerus, qua est liberalitate, me monuit aperte scriptum in codice se quoque legisse *κενόλλισται*, atque injuria Villoisonum me incuriae insimulasse. Ergo a Villoisono in librios transferendum crimen erit.]

1) Cf. infra §. 30 not.

2) Apud. Dindorf. Tom. IX. p. 439.

Aristophaneas una cum scholiis transcripserit vir quidam haud indoctus, in fine cujusque fabulae ingenue monuerit; unde illae copiae petitae sint, id quod non penitus abhorret ab ejus aetatis more habemusque etiamnum unum saltem ejus generis indicem; singulis fere rhapsodiis in Homeri codice Veneto A subscriptum, quo ex quattuor libris grammaticorum Aristonici, Didymi, Herodiani, Nicanoris monemur collecta esse, quae qui primus istum adornavit codicem scholia adjecit. — Sed illum codicem si haberemus servatum, non dubitandum, quin multo certius hic aptiusque ad persuadendum posset disputari; nunc ne illud quidem pro certo sumi potest, codices Venetus et Leidensis num ex eodem uterque vetusto codice una cum scholiis etiam subscriptiones traduxerint; tum, si traduxerint, num subscriptionem genuina forma servaverint; postremo hoc imprimis incertum est, num quattuor illae subscriptiones ad eas tantum tres fabulas ¹⁾ eosque codices pertineant, quibus subjectae sunt, ut reliquorum et codicum et fabularum scholia aliunde accesserint, an valeant de omnibus fabulis codicibusque, elapsae sive hominum socordia sive temporis injuria e ceterarum fabularum fine, at in tribus illis fausto quodam casu servatae solis. Apparet igitur, quam parum per se valeant subscriptiones illae ad fontes scholiorum certissima ratione eruendos, ut nisi alia accedant, quae vel firment in quibus consentiunt singulae, vel corrigant in quibus dissentiunt, nullum fere usum videantur habere, certe non talem, unde justae disputationis exordium et fundamentum sumatur. Itaque nos longe alia progrediemur via, primumque videbimus, quid etiamsi non essent subscriptiones illae servatae, ex ipsis scholiis extricari possit; cui deinceps admovebimus subscriptiones, ex eaque comparatione verum invenire conabimur. —

§. 2.

Ac prae ceteris quidem in scholiis loci nonnulli advertunt animum, quibus hypomnemata citantur ad explicandum Aristophanem adhibita, non illa quidem auctorum no-

1) Ad Pacem, Aves et tertiam quandam fabulam; haec quatenam sit ob Villoisoni silentium incertum est, nisi quod hoc aliunde colligi potest, diversam eam fabulam a reliquis duabus quas posui esse. Namque cum Codex ille Venetus 474 secundum Zanetti (graec. Div. Marc. bibl. Codd. MSS. p. 250) foliorum sit 277 nihilque contineat nisi 7 Aristophanis fabulas hoc ordine scriptas: Plut. Nub. Ran. Equit. Av. Pac. Vesp. — credibile est folium 43, ubi subscriptionem istam Villoisonus legit, pertinere neque ad Aves neque ad Pacem neque ad Vespas, ut ultimas codicis fabulas, sed ad aliquam inter priores. [Id recte me conjecisse, Bekkerus postmodo me docuit, qui in fine Nubium Villoisoni legi subscriptionem asserit, reliquas autem fabulas praeter Aves et Pacem subscriptionibus carere.]

mine insignita, sed ut videas tamen, satis antiquorum et doctorum indicari grammaticorum commentarios: quos ego locos sigillatim enumerabo, quum nec unius omnes generis sint, et ad rem nostram multum videantur conferre. — Ordiamur autem a scholio ad Plut. v. 1037 Bekk. (cujus editionem ubique sequor), ubi quotquot scriptae sunt annotationes ad Aristophanis explananda verba haec:

Γρ. διὰ δακτύλιον μὲν οὖν ἐμὲ γ' ἂν διελεύσαιο.
Χρ. εἰ τυγχάνοι γ' ὁ δακτύλιος ὦν τηλία, —

facile mihi concedet quisque omnium doctissimam ideoque fortasse etiam antiquissimam esse hanc: τηλία] κοκκινὸν κύνλος ἢ σανὺς πλατεία, ἐφ' ἧς ἄλφριτα ποιούσιν. ἐν δὲ τῇ ὑπομνήματι οὕτως· τοῦτο τί ἐστὶν οὐκ οἶδα. ὅτι δὲ συμβάλλεται ἐν Μαρικᾷ Ἐπιπόλιδος οἶδα. κακεῖ γὰρ τὴν Ὑπερβόλου μητέρα τηλία εἰκάσει τῇ πλατείᾳ σανίδι. τινὲς δὲ τηλίαν ξύλον φασὶ πλατὺ, εἰς ὃ οἱ ἀροτοκόποι τοὺς ἀροτους ἐπιξηραίνουσιν. ἄλλοι δὲ τηλίαν τὸ τῆς καρποδόχης πῶμα ¹⁾, ὃ ἐστὶ περιφερές. φησὶν οὖν ὅτι διὰ δακτύλιου ἐλκυσθῆναι, ἐὰν ἢ ὁ δακτύλιος τηλία. τοῦτο δὲ ὡς παχείας αὐτῆς οὐσας καὶ μὴ δυναμένης διὰ δακτύλιου ἐλκυσθῆναι, ἀλλὰ διὰ τηλίας. Hic dignus est qui audiatur Hemsterhusius, de verbis ὅτι δὲ συμβάλλεται κ. τ. λ. ita disputans, ad Plut. p. 377 Schaef.: „ex his sensus exsculpi nullus potest, quo indicio facile corruptelam subesse deprehendas: nihil aliud suppetit, quam ut de conjectura remedium arcessamus,“ quod ita recte administrasse sibi videbatur, ut ὅτι δ' ἀμφιβάλλεται scriberet, quorum verborum hanc ipse subjecit interpretationem: „ambiguum vocabulum esse significationisque contrarsae, hoc scio.“ Quae tametsi facile largior ab ejus, qui commentarium perscripsit, mente non magnopere abhorreere tamen nondum mihi potui persuadere, ut cum corrupta verba putarem, tum jure medicam eis manum esse adhibitam. Neque enim video quid impediatur quominus hoc dixisse videatur scriptor commentarii: „τηλία quid sit nescio, nisi quod hoc scio, adhibitum vocabulum esse ab Eupoli; dis interprete ad eum explicandum ἐν Μαρικᾷ locum, quo

1) Quamquam alienum est ab instituto nostro, commentarium in scholiastis scribere, praesertim ubi rem, de qua cum maxime agitur, nihil hoc attigerit, animi tamen causa tum alibi nonnulla expromam, quae ad scholiastas magis quam ad rem nostram pertineant, tum hic illud moneo, istam interpretationem (τηλίαν esse τὸ τῆς καρποδόχης πῶμα) aperte fluxisse ex Aristophane ipso Vesp. 147, quod Hemsterhusio non suboluit. — Praeterea illud quod tractamus scholium una cum eo quod statim apud Bekkeram sequitur, adque eandem explicandam vocem scriptum est, ita in rem suam convertit Philemon. lex. tech. p. 164 seq. Osann. ut in unum utrumque conjungeret, idque satis negligenter, quandoquidem, etsi nullam Aristophanis mentionem fecit, ita tamen grammaticus peroravit: λέγει οὖν κ. τ. λ. Idem cadit in Phavorinum Camertem.

Hyperboli matrem *τηλια* poeta fecit similem, sive, ut accuratius scriptoris verba premam: „scio, locum nostrum ob vocem *τηλια* ab interprete Eupolidis cum simili quodam illius comici loco comparatum esse.“ — Quod enim alius grammatici in alium poetam comicum commentarios respicit scriptor, id nec per se alienum est a cauto Aristophanis interprete, qualem eum ipsius verba demonstrant fuisse, et alibi etiam in ipsis hisce scholiis Aristophaneis factum est, ut alios aliorum poetarum commentarios inspicere jubeamur; quo magis mirum est, Hemsterhusium, quem accurate tractasse haec majorum copiarum frustula non unus docet in egregio illo commentario locus, aut neglexisse prorsus istum usum, aut tum forte non esse recordatum; sed idem ne in posterum cuiquam accidat, diligenter cavebimus. Primus autem quo hoc comprobem in conspectum venit qui in his ipsis in Plutum scholiis locus legitur, ad v. 9: *τὰ μὲν περὶ τοῦ Πυθίου τρίποδος διαφόρως ἱστορούμενα ἐν τοῖς Πινδαροῦ ὕμνοις εὐκαίρως ἡμῖν διελήθηται*, — quae Didymi verba esse, non Palamedis Eleatici, ego quoque cum Boeckhio ¹⁾ facile concedo cognomini meo Joanni Theophilo. In eundem porro sensum ea dicta sunt, quae in scholiis ad Plut. 589 prostant: — *παρὰ τὸ λείριον*, — *σημαίνει δὲ τι ἄνθος; ἀφ' οὗ καὶ φωνὴ λειριόεσσα ἢ ἀνθηρὰ καὶ κύριον Ποδολείριος*. — *περὶ οὗ καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι* ²⁾, ad cujus interpretes disertius respici jubent scholia in Pac. 376: *παρατηρητέον οὖν* (de voce *ἀμαλδύνην*) *πρὸς τοὺς παρ' Ὀμήρῳ ἐξηγουμένους „τείχος ἀμαλδύνας“* ³⁾; quae quidem duo scholia aliud in memoriam mihi revocant quod in eadem Pluti fabula ad v. 550 ascriptum ita legitur corrupte: — *μᾶλλον ἂν τις ὑπονοήσειεν ἕτερον Διονύσιον Θρασυβούλον τοῦ Κολυττίως ἀδελφὸν ἢ* (hoc jure inseruit Hemsterh.) *ἔγγιστα συγγενείας εἶναι. καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι σαφέστερον οἶδεν ἢ κατὰ Δίδυμον. ὡς εἴ τις λέγοι κ. τ. λ.*, emendatumque est ab Hemsterhusio in hunc modum: — *καὶ ἐν Ἰηουτάδῃ σαφέστερον οἶδεν* (scil. ὁ Ἀριστοφ.) *ἢ κατὰ Δίδυμον. ὡς εἴ τις λέγοι κ. τ. λ.* qua in emendatione tum illud ὁ Ἀριστοφάνης σαφέστερον οἶδεν nescio quomodo displicet, tum neque ἢ neque κατὰ Δίδυμον respondet loquendi usui, quem constanter in scho-

1) Cf. Boeckh. Praef. schol. Pindar. p. XVIII.

2) Quamquam de hoc nihil hodie extare credo in scholiis Homericis, probabile tamen est, de hisce disputasse grammaticos ad explicandam vocem *λειριόεις*, quam quidem disputationem invadebant nobis epitomatorum in excerpto rationes ad Iliad. γ, 152 ad v. 830. — Sed ne credas, scholiastam Aristophaneam ad ipsam Iliadem, non ad commentarios in Iliad. respexisse, illud vetat: *καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι*.

3) De hoc quoque nihil hodie legimus in veteribus commentariis Homericis, quod jure aliquo ad eos amandasse nos scholiastam Aristophaneam demonstret.

liis observatum videmus, quique hoc fere flagitat: *ἄλλως Δίδυμος*, aut *Δίδυμος δέ*. — ut ita potius suspicer haec olim litteris consignata fuisse: *καὶ ἐν Ἰηουτάδῃ* ¹⁾ *σαφέστερον οἶδεν ἢ κατὰ Δίδυμον*, ut ad Didymi commentarios in istam Aristophanis fabulam provocare videatur scholiastes. Sed ejusdem Didymi commentarios etiam in scholiis ad Vesp. 151 respici credo, ubi haec leguntur: *τὸν ὑπεκλύμενον οἶνον φασὶν τινες καπνίαν λέγεσθαι. ἐν δὲ τοῖς περὶ Κρατίνου διώρισται ὅτι τὸ* (scrib. τὸν) *ἀπόθετον ἢ καὶ παλαιόν*, nam Cratinum etsi plures interpretati sunt Grammatici ²⁾, tamen equidem quemquam inter eos praeter Didymum ita simpliciter potuisse Cratini interpretem dici in Aristophaneis scholiis prae fracte negaverim. Nec majore jure dubitare possis, num etiam in scholiis Avium v. 1738 Didymi commentarii intelligendi sint: *ὕμνη ὦ, ὑμέναι ὦ* ³⁾ *ἦδετο τοῦτο ἐν τοῖς γάμοις. εἴρηται δὲ τοῦτο ἐν τοῖς Μενανδρείοις*, quod ita interpretor: „quod (i. e. illud cantari in nuptiis solitum fuisse) dictum est in commentariis Menandreis;“ nam ephymnium istud si in Menandrea aliqua fabula extare dicere voluisset scholiasta, dixisset opinor *καὶ ἐν τοῖς Μ.*, mirumque fuisset, Menandrum eum voluisse testem citare quum multo locupletior in propinquo esset ipse Aristophanes in Pace extrema ³⁾. Quod autem non dubitari posse dixi num Didymi ⁴⁾, an alius cujusdam grammatici ⁵⁾ commentarii Menandrei citentur, id quo jure dixerim, infra §. 28 not. ult. patebit.

1) Hanc, quam merito valde incertam Dindorfius (frag. Arist. p. 117) appellat Hemsterhusii conjecturam retinui tamen, quum ipse non multo certiore excogitare potuerim. Etsi enim ob mutandi facilitatem haud paulo praestaret: *ἐν Ἀηλιάδῃ* (quae Cratini fuit fabula, eadem prorsus ratione apud Hesygium sub *αἰθρία* commutata in *Ἰλιάδες*), tamen Cratinus in ea fabula vix potuit ob temporum rationes istum Dionysium memorare. Quamquam hoc ita possis infringere, ut alius quidem Dionysii a Cratino mentionem factam dicas, a Didymo autem reliquos etiam cognomines ei homines ad istum locum enumeratos esse, id quod in nostris quoque scholiis est identidem factum.

2) Cf. Meinekium, Quaest. Scen. III. p. 4 et 5. Serius ad me perlatum est Bergkii liber, quem inscripsit commentationes de reliquiis comoed. att. antiquae; is accurate de Cratini interpretibus disputavit p. 65 seq. et p. 264 seq. ita tamen, ut non multum abesset, quin Didymum numero eximeret; namque „Didymum, inquit, Cratini comoedias illustravisse, dubium propterea est, quod lexicon comicum composuit.“ Sed idem tamen Didymus Aristophanem quoque illustravit.

3) Secus tamen visum Meinekio, viro doctissimo, qui fragmentum hic Menandream latere arbitratur, Menandr. et Philem. reliq. p. 280.

4) Didymum in Menandrum commentatum esse docet Lexic. Gudian. p. 338, 25, citatum a Meinekio, Quaest. Scen. III. p. 5.

5) Quales vide apud Meinek. Proleg. ad Menandr. p. XXXIII seq.

Sed nondum eum apposui locum, qui omnium est aptissimus ad tuendam in schol. Plut. vulgatam lectionem; est is in schol. ad Vesp. 1310: ὁ δὲ ἄχρως παρ' Εὐπόλιδι ἐν Χρυσῷ Γένει, ὅπου καὶ τὸ Πλάτωνος παράκειται ἐξ Ἀδάνιδος, ubi eadem plane ratione atque in Pluti scholio, alius poetae comici versum ascriptum in commentario fuisse vides tum ejusdem poetae vocabulo cuidam, tum (ut statim quid sentiam eloquar) ab eodem interprete, Didymo. In hunc enim quod librum istum transtulerim, nolim quisquam ita existimet, me justo saepius aut cupidius meminisse scripta ejus, quem ipsam suorum nimis obliviosum fuisse librorum, docet τοῦ βιβλιολάθου cognomen, quo eum ornaverat Demetrius Troezenius¹⁾; certas enim rationes secutus sum, ut commentariorum Eupolideorum²⁾, quos qui scripserit aliunde non constat, auctorem fuisse Didymum putarem. Extat namque Bekkeri industria scholium ad Aristoph. Thesm. v. 162 satis doctum, quo tum illud cognovimus, Ἀλκαίος in illo Aristophanis versu a cognomine grammatico demum esse repositum pro Ἀχαιός, tum hoc, parum illam probatam fuisse conjecturam Didymo, qui ita judicavit: οὐκ ἐπεπόλαξε τὰ Ἀλκαίου διὰ τὴν διάλεκτον³⁾. His a scholiasta haec subjecta sunt: ἀλλὰ τοῦ δὲ ὁ Διδυμός φησιν, „ἡ μὲν γραφή δύναται μὲν εἶναι, οὐκ ἂν δὲ τοῦτον τοῦ μελοποιῦ μέμνηται,“ πάλιν τὸ αὐτὸ λέγων, ὅτι οὐκ ἐπιπολάζει τὰ μέλη. Ἀλκαίου τοῦ κithαρῶδου, οὗ καὶ Εὐπόλις ἐν Χρυσῷ Γένει μέμνηται: „ὡς ἄλλαις Σικελιώτα Πελοποννήσι.“ τί δὲ ἐνταῦθα κithαρῶδου, περὶ ποιητοῦ ὄντος τοῦ λόγου; — quae sine dubio ita sunt emen-

1) Cf. Athenaeum libr. IV. p. 139 C.

2) Commentarios Eupolideos attigit etiam Fritzschi, Quaest. Arist. I. p. 146 not., sed ut neque de eorum auctore quaereret vir ad suspicandum semper paratissimus, neque satis sibi ab omni errore caveat. Quis enim paululum modo cautior in Antolycum alterum scholia olim scripta fuisse contendere velit ob solum schol. in Thesmoph. 941 hocce: ἐστὶν καὶ δοτικὴ οὐκ ὀνομασμένη, ὅς καὶ παρ' Εὐπόλιδι ἔστιν ἐν ἄντρο. Θάραξ. ὡστε οὐτε ἐκεῖ, οὐτε ἐνθάδε δεῖ ξενίζεσθαι (qui versus videbatur Bergkio esse, comment. p. 346). Ceterum duo testimonia praetermisimus et ipse supra et Fritzschi: schol. Equit. 938 — ἔστι δὲ πολλὰ καὶ παρ' Εὐπόλιδι ὀνομασμένα, tum schol. Paris. ad Apollon. Rhod. 4, 144. Nihil horum innotuit Lucae, de Cratin. et Eupolid. p. 90.

3) Hanc adnotationem „maxime sibi et miram et memorabilem“ visam esse Rankius profitetur, de vita Aristoph. I. p. CLXXVIII. not. 38; et esset sane maxime mira, si, quod ille sibi persuasit, hoc sibi voluisset Didymus, „Alcaei carmina propter dialectum non legere potuisse Aristophanem;“ nunc autem quum aperte dicat Didymus, Alcaeam propter dialectum non a multis Atticis tritum fuisse, ideoque parum esse verisimile, ejus mentionem esse factam in comoedia, ut quae notissima quaeque producere soleat, — hac igitur ratione non video, quid insit miri. Ceterum propter ἐπιπολάξω cf. schol. Pac. 725.

danda: οὐκ ἂν δὲ τ. τ. μ. μεμνητο (πάλιν τ. α. λ. — μέλη) ἀλλ' Ἀλκαίου τοῦ κithαρῶδου κ. τ. λ. Queritur autem quonam tandem alio in loco istam animadversionem repetierit Didymus, in Aristophanicis an in alius poetae commentario. Horum illud parum est credible; nam — nisi fortasse stavis, quod hodie faciunt multi ut prorsus ἀπροσδιονύσως copias suas effundant, id in veteres quoque illos interpretes cadere — necessario ita esset existimandum in una aliqua Aristophanis fabula itidem de eodem Alcaeo citharoedo mentionem fuisse factam; quod si fuisset, mirum esset talem locum Didymum, magnae virum lectionis, fugisse; quo suum de Thesmoph. v. 162 iudicium multo firmasset melius quam Eupolideo. Et tametsi scimus Athenaeo teste XV p. 694 A Aristophanem in Daetalensibus quoque similiter scripsisse haec:

ἄισον δὴ μοι σκόλιόν τι λαβὼν Ἀλκαίου κἀνακρέοντος,

— putasne, si ad hunc versum ista stavis Didymum repetiisse, putasne igitur interpretem qui Didymo obloquitur hunc quem ita cognitum habere oportebat versum noluisse afferre quamvis aptissimum cum ad firmandam Aristophanis grammatici in Thesmophoriazosis conjecturam, tum ad propulsandam Didymi opinionem? — Sed quod ad testimonium dicendum de Alcaeo citharoedo non videmus provocatum quemquam nisi Eupolidem, id ipsum satis diserte videtur indicare, plures ejusmodi locos qui aliquam in hac causa vim habere potuerint doctis Grammaticis non innotuisse, ut si quid de eo homine adnotare vellet Didymus, quod a loco quo erat positum non abhorreret, non posset nisi in commentario Eupolideo extare¹⁾. — Quae si vere disputata sunt — et mihi quidem videntur veri admodum similia — facile est ad intelligendum quid de ratione iudicandum sit, quam scholiasta in hac componenda adnotatione adhibuerit: nominato quidem Didymo, sed celato quo ejus observatio prostaret loco inventi Eupolidei versus gloriolam sibimet ipsi studuit comparare, id quod ne ab antiquioribus quidem grammaticis omnibus ubique abhorret. — Simul autem non erit mihi magnopere verendum ne quis nimiae me arguat audaciae, si statim subjecero, in Pluti scholio a quo exordiebatur nostra haec disputatio ejusdem Didymi commentarium Eupolideum, non alius grammatici nescio cujus mihi videri eum intellexisse, cujus ὑπόμνημα scholiasta excerptit. —

1) Id est ad ipsum illum ἐν χρυσῷ γένει locum: ὡς ἄλλαις Σικελιώτα II. — Caeterum quae hic posui non refragari eis, quae supra dixi p. 15 not. 1 extr., facile concedet qui utramque rem accuratius consideraverit.

§. 4.

Vulgatam igitur in Pluti scholio scripturam Hemsterhusio non fuisse sollicitandam satis, credo, probavi¹⁾, nimis fortasse longa disputatione, sed quam tamen ad aliam quoque rem demonstrandam non poteram tuto omittere. Etenim videbam, si persuaderem lectoribus Didymi commentarium Eupolideum ad partes vocatum in isto scholio esse, statim assensuros mihi esse omnes affirmanti, *ὑπόμνημα* illud, ex quo excerpta dedit scholiasta, non fuisse a Didymo conscriptum; nam diversum utriusque scriptionis cum commentarii Eupolidei tum *τοῦ ὑπομνήματος* auctorem esse ipsa *ὑπομνήματος* verba exscripta satis aperte indicant²⁾. Illud igitur si persuasi, ut persuasisse me credo, pro certo jam et indubitato ponere alterum poterō, quod in reliquam nostram disputationem non exiguam habebit vim, si quando scholiastae *τὸ ὑπόμνημα* (sic simpliciter citatum) excerptis se fatentur, de alio cogitandum commentario esse atque de Didymi libro. Quod ut lectores studiose tenere velim, ita et ipse tenebo mordicus nec e manibus eripi mihi patiar, praesertim quum, si quis oppugnare velit, causam meam tueri polliceatur aliud scholium ad Pac. 742 quo post Bekkeri demum operam hisce reliquiis navatam cum fructu aliquo uti possumus³⁾; id ita habet: *Λαμίας ὄρχεις*] *δραστικοὶ γὰρ οἱ ὄρχεις. Δίδυμος δέ· εἰδωλοποιεῖ τινὰς ὄρχεις Λαμίας. Θῆλυ γάρ. ἐντεῦθεν καὶ Λάμος ἢ πόλις τῶν Λαιστρυγόνων. λέγεται δὲ ἡ Λαμία Βήλου καὶ Λιβύης θυγάτηρ.* — quibus post expositam uberius Lamiae historiam⁴⁾ haec subjiciuntur *οὕτως εὔρον ἐν ὑπομνήματι*, quae priusquam accuratius tractabo, ex schol. ad Vesp. 1035, ubi eadem Aristophanis verba redeunt, lucem aliquam adipiscantur; ubi quum scriptum sit: *Λαμίας*

1) Addere in eandem rem reliquos poteram locos similes, schol. Pac. 474, ubi citantur commentarii Hipponactei; tum schol. 2 ad Nub. 397, ubi ipsa adeo verba apponuntur e commentariis in Apollonium Rhodium (quae in nostris ad eum scriptorem scholiis redeunt ad IV, 264). Sed hoc scholium non puto antiquum esse totum. Addere quoque poteram schol. Plut. 286: *ἐν Σοφοκλεῖ εἰρηται περὶ τοῦ ἡμῶν, ὅτι καὶ βραχὺ ἐστὶ, διὸ καὶ ὀξύνεται.* sed id quum e Cod. Parisino prolatum sit jure dubitabam cum ceteris comparare quae citantur ab antiquioribus grammaticis quam quorum vestigia in codice Parisino alibi superesse soleant. Quamquam ad Sophocleos non commentarios quidem, sed tamen codices respicitur etiam in schol. Aldin. ad Plut. 493.

2) *ὅτι συμβάλλεται.* alioquin, opinor, scriptum esset *καὶ ἐν Μαρκῆ Ἐπόλις τὴν Ἰ. μητέρα εἰκάσει πηλῆς*, vel simile quid eadem ratione.

3) Suppletur enim Bekkerus (e codice Veneto 474 ut arbitror) hoc quo carent priores scholorum editiones: *οὕτως εὔρον ἐν ὑπομνήματι*, — in quo cardo rei nostrae vertitur.

4) Eam e Duridis libro secundo rerum Libycarum petitam esse patet ex schol. Vesp. 1035.

ὄρχεις] *Λαμία Θηρίον, ἀπὸ τοῦ ἔχειν μέγαν λαμόν, λαμία καὶ λαμία. δραστικοὶ δὲ οἱ ὄρχεις κ. τ. λ.* — facile apparet in Pacis scholio priorem interpretationem hodie decurtatam et maneam legi, quam ubi ex Vesperum scholio supplereris, statim longe aliam rationem videbis ad interpretandam *ὄῆσιν* Aristophaneam Didymum iniisse; de cujus interpretatione illud jam tenendum, quae sequatur de Lamia historia ab ipso Didymo esse appositam; aliter enim ejus interpretatio — *Θῆλυ γάρ* — ne intelligi quidem posset; neque ad eam solam pertinere illud *οὕτως εὔρον ἐν ὑπομνήματι*, sed ad priora quoque Didymi verba; ad haec autem si pertinent, necessario etiam ad priorem istam interpretationem, quam e Vesperum scholiasta supplendam diximus, simul sunt referenda; nam et cohaeret utraque interpretatio externa sua forma arctissime, et si ad Didymi tantum adnotationem illud quod subscripsit pertinere voluisset scholiasta, si nihil aliud certe schol. Plut. 1037 fidem facit, praeposita non postposita illa nota ita fere eum loquuturum fuisse: *ἐν δὲ ὑπομνήματι οὕτως εὔρον. Δίδυμος· εἰδωλοποιεῖ κ. τ. λ.*¹⁾. Extabat igitur utraque potius interpretatio in veteri illo hypomnematē, et quod inde statim consequitur, auctor *ὑπομνήματος* a Didymo plane fuit diversus, quippe quem ab illo citatum et ad ipsius condendum librum in auxilium vocatum videamus.

§. 5.

Inde quae in rem nostram commoda redundant priusquam exponere aggredior, solvam nomen et qui restant de *ὑπομνήμασιν* a scholiastis Aristophaneis in interpretando poeta citatis enūmerare locos pergam. Quorum eum qui est ad Vesp. 544 temperare mihi non possum quin totum ascribam quum et solidae doctrinae plenus sit et e codice Veneto 475²⁾ nunc demum recte intelligi queat; sic autem habet: *Θαλλοφόροι*] *ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν οὕτω γέγραπται. Θαλλοφόροι ἀντὶ τοῦ ἐργάται, „Θαλλόν τ' ἐρίφουσι*

1) Est etiam quod contra me afferri posse video; saepissime in scholiastarum et lexicographorum libris diversas afferri notationes de particula disjunctas easque e diversissimis petitis operibus, quae nusquam nisi in istis solis parum accuratorum scriptorum libris conjunctae vel legantur vel legi possint (vide Ritschl de Oro p. 20, 23 etc.); id autem cur hic quoque statuat factum esse causam video nullam, non magis quam in aliis multis scholorum locis, quos postea proponam. — Sed ne quis talem qualem efflagitavi in scribendo accuratorem a scholiastis nostris plane judicet alienam, vide schol. Av. 1379: *Σύμμαχος οὕτως· Εὐφρόνιος· ἐπειδὴ κ. τ. λ.*

2) In hoc enim codice (quem interdum se consuluisse Bekkerus narrat, Praef. p. VII) quas lectiones memorabiles invenit quum in priore scholorum in Pac. parte in ipso contextu notasset Bekkerus, postea videtur ad imam paginam relegasse.

φορῆναι¹⁾. οἱ γὰρ γέροντες τὰ τοιαῦτα ἐν ἀγρῷ οἰκονομοῦσιν. Εὐχερεῖς δὲ εἰσι, περὶ ὧν μηδὲν ἔσχον εἰπεῖν σαφῆς ἀποσχεδιάζοντες. Θαλλοφόρους γὰρ ἔφη βουλόμενος τοὺς γέροντας δηλῶσαι, ἐπειδὴ ἐν τοῖς Παναθηναίοις οἱ γέροντες θαλλοὺς ἔχοντες ἐπόμπευον. ὡς οὖν εἰς οὐδὲν ὄντων χρησίμων αὐτῶν ἕξω τοῦ θαλλοφορεῖν, οὕτως αὐτοὺς ἐπέσκηψεν. ὁ μὲντοι Δικαίάρχος ἐν τῷ Παναθηναϊκῷ οὐκ οἶδα ἐξ ὅτου ποτὲ καὶ τὰς γραῦς ἐν τοῖς Παναθηναίοις ὑπείληφθαι (scribe, ut in vulgatis legitur scholiis: ὑπείληφε) θαλλοφορεῖν, πολλῶν ἀλλήλοις ὁμολογούντων εἶναι τοῦ (scribe εἶναι τοῦτ' ἔθος) μόνους τοὺς πρεσβύτας θαλλοφορεῖν, Ξενοφῶντος μὲν ἐν τῷ Συμπόσιῳ²⁾, Φιλοχόρου δὲ ἐν τῇ δευτέρᾳ, ὅς γε καὶ τὸν κατάδοντα (scribendum καταθέντα. Bergk. commentat. p. 41 voluit κατάγοντα) τὸ ἔθος Ἐριθόνηιον μνημονεύει τοῦ ἔθους Κρατίνος μὲν ἐν Δηλιάσσι, Φερεκράτης δὲ ἐν Ἐπιλήσμονι. — Haec primo aspectu eadem ratione mihi videbantur posita esse atque scholium illud in Plutum, a quo initium traxit haec nostra disputatio, putabamque hic quoque suum illud ὑπόμνημα, quo in explicando comico utebatur, scholiastam intelligi voluisse et excerpisse; nam quod qui ibi ὑπόμνημα vocatur commentarius, hic ὑπομνήματα audit, id non magno opere isti opinioni adversari et tum credebam et etiamnum existimo. Nunc autem re iterum pensitata aliter statuendum arbitror. Videntur enim in scholio nostro plurimum potius interpretum ὑπομνήματα simul respici quam unicum illud quod in schol. Plut. 1037 et Pac. 742 ad manus sibi fuisse scholiasta testatur; qui quum in ista interpretatione, θαλλοφόρους esse ἐργάτας, consentirent omnes, illud brevitati datum, ut unius verba ponerentur, ceterorum in eadem interpretatione conspirantium verbis omissis. Atque hanc quidem interpretationem non tam illud: εὐχερεῖς δὲ εἰσὶ — ἀποσχεδιάζοντες (hoc enim, si verum fateri volumus, in utramque partem trahi potest eodem jure), quam scholium ali-quod ad Avium vers. 556 egregie confirmat, cui inter alia haec ascripta observatio est: ἐν ἐνίοις δὲ τῶν ὑπομνημάτων ταῦτα λέγεται. „ἱερὸν πόλεμον λέγει, καθὸ πρὸς θεοὺς ἔσοιτο. ἀμα δὲ τοῦ ἱεροῦ πολέμου μνημονεύει, γενομένου Ἀθηναίοις πρὸς Φωκίας ὑπὲρ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ.“ ἔσχε-διασταὶ δὲ ὑπ' αὐτῶν, κ. τ. λ. cujus observationis forma alteri quam e scholiis [ad Vespas] apposuimus tam est similis, ut non temere mihi videar pronuntiare eundem utriusque auctorem esse. Atqui is hic quidem apertissime indicat, si qui eandem sententiam tuerentur commentarii nu-

mero plures, unius tantum sese produxisse verba brevi hac nota, plurimum eandem esse interpretationem, apposita; ut in priore quoque scholio eandem eum rationem tenuisse multo sit magis verisimile, quam quod olim me putasse dixi, de hypomnematate cogitandum esse isto, quod in pangendis hisce scholiis suis se oculis usurpasse enarrator Aristophaneus in schol. Plut. et Pac. ll. ll. affirmat. — Idemque prorsus de eis dictum velim, quae Vesparum versui 968 ascripta sunt: ἐν τοῖς ὑπομνήμασι δὲ γέγραπται περὶ τῶν τραγγήλιων οὕτως· τὰ ἀποβαλλόμενα τῶν ὄσμων κ. τ. λ. — πεπλάνηται δέ, ἔστι δὲ τραγγήλιόν τι βραχὺ τελέως, παραπλήσιον τοῖς κυρηβίοις (Cod. Venet. κρηβίοις. voluit sine dubio; κρηβίοις!) τουτέστι πιτύροις κ. τ. λ. — quibus iterum apertius quid sibi velint indicant haec quae in simili interpretum dissensu posita sunt in schol. Av. 281: ἐν ἐνίοις δὲ ὑπομνήμασιν, ὅτι προκίφαλός ἐστιν ὁ Φιλοκλῆς ὡς ὁ ἔποψ. ἀλλ' οὐδαμοῦ κεκομώθηται. Neque eo usque progressa est corruptio in schol. Av. 1075, quin facile intelligi possit, ad idem genus pertinere quae ibi in hunc modum edita sunt: τινὰ τῶν τεθνηκότων τῶν ἐπὶ θανάτω φευγόντων. ἐν δὲ τοῖς ὑπομνήμασιν οὕτω γέγραπται· ἐν ὑπερβολῇ καὶ τοὺς τεθνηκότας ἀποκτείνεν, ὥστε μηδ' ἐν..... πλασιάζονται δὲ τῇ ἀμριβολίᾳ. λέγει γὰρ· ἐάν τις τινὰ τῶν τοῖς τυράννοις προσηκόντων ἀποκτείνῃ, τάλαντον λήψεται, οἷον γύναιον, τέκνον, ἀδελφόν κ. τ. λ. — ubi Kusterus: „locus,“ inquit, „et mutilus est et corruptus, qui absque meliorum codicum ope suppleri et sanari nequit;“ recte quidem ille et sobrie quod ad mutilationem attinet, — quamquam intelligere mihi videor, quid scholiasta dixerit²⁾; quod autem corruptionem non nisi meliorum ope librorum tolli posse putavit, mirarer equidem, ni talem opem omnes uno ore faterentur nostris hominibus pridem subministratam esse Victorii copiis, quem Aloysius quidem Nickelius³⁾ eumque sequutus Dindorfius⁴⁾ post μηδ' ἐν inseruisse ad complendam lacunam πλασιάζονται affirmarunt, sed quem apertum est non tam πλασιάζονται, quam πλασιάζονται scripsisse, certe scribere debuisset, idque non ad explendam vel ex parte lacunam, sed ad emendandam vocem corruptam πλασιάζονται. Illud igitur si deleta voce corrupta receperimus plana erunt omnia; fuerunt, inquit, qui chorum

1) Nam haec quoque forma apud nonnullos in usu fuit; cf. Henric. Stephan. thes. ed. Londin.

2) Namque jurarem paene, hoc scriptum in commentariis istis fuisse: ὅστε μηδ' ἐν ἄδου ὠρεσθαι τινι, — si juratis (Wolfii utor verbis) crederetur in arte critica.

3) Cf. Copiae Victorianae in Aristophanem, quas exscripsit A. Nickelius, Act. philol. Monac. I, 3, p. 397.

4) Dindorf. schol. Aristoph. (Tom. X), p. 475 not.

1) Homerici versus frustulum esse, ex Odys. ε, 224, Dindorfius monuit.

2) Cf. Xenoph. Sympos. 4, 17, indicante eodem Dindorfio.

ὑπερβολικῶς vel mortuos tyrannos urgendos esse cecinisse putarent; sed hi decepti sunt¹⁾ ambiguitate verborum τυράννων τινὰ τῶν τεθνηκότων, quae hic quidem non tam valent: „aliquem ex tyrannis mortuis“ (quod illi sibi persuaserunt), sed: „cognatum aliquem vel amicum tyrannorum.“ — Quae quin ab eodem accurato et sobrio interprete scripta sint quem ex scholl. Vesp. 544, 968, Av. 281 et 556 modo cognovimus, nemo, opinor, serio dubitabit; ejusdem igitur in percensendis aliorum interpretum sententiis breviter, qua plurium simul commentariorum interpretamenta sub unius produxit verbis, hic quoque debemus agnoscere.

At jam illud quaeritur, iste tam accuratus interpret fueritne ab eo, qui in schol. Plut. 1037 citavit τὸ ὑπόμνημα, plane diversus, an ipse in eo scholio τὸ ὑπόμνημα ad partes vocaverit; quod ut recte decernatur summa cura nitendum est. Nam quum postea (§. 7) probaturus sim, τὸ ὑπόμνημα in schol. Plut. a scholiastis citatum esse (de quorum fontibus quaesiueros nos promisimus), sponte patet inde istam quam movimus quaestionem in hanc continuo mutatum iri, scholiastae num plures an unum tantum adhibuerint commentarium. — Sed sunt profecto inter se diversi plane homines; primum enim non potest modo τὸ ὑπόμνημα, modo τινὰ ὑπομνήματα promiscue idem homo citare, nisi forte vecors aliquis et male sanus; — nam qui ita hariolatur, in Plutum fabulam istum solum aut extitisse omnino aut servatum tum fuisse commentarium, ceteris fabulis multo beatioribus, qui igitur ita hariolatur, quorum se putet assensum nacturum esse? — tum (modo verum sit, quod postea me probaturum dixi, τὸ ὑπόμνημα adhibitum a scholiastis esse) si non essent diversi, et instructiores commentariis et accuratiores atque cautiore in interpretando haberemus scholiastas quam quales extiterunt unquam; postremo autem, id quod omnium maximum est, ei cujus ex τοῦ ὑπομνήματος in schol. Plut. afferuntur verba, tanta cum eo qui in scholl. Vesp. 544, 968, Av. 281, 556, 1075 loquitur similitudo²⁾ intercedit, ut vel hoc solum satis sit argumenti ad affirmandum, eum quem in scholl. Vesp.

1) Hoc enim apud recentiores interdum valet *πλαγιάζεσθαι*. Vide modo schol. Venet. ad Iliad. δ, 59 ed. Bekk. *πρὸς βυβάτην] τιμιωτάτην ἴδν, πλαγιάσεις δὲ ἐπεῖθεν Ἡσίοδος νεώτερόν φησι τὸν Δία, — ubi errant sine dubio et Villosionus, qui *πλανηθεὶς* edidit, et Murtzell. de emendat. Theogon. Hesiod. pag. 477 not., inconsideratius ille de Bekkeri fide iudicans.*

2) Cernitur ea similitudo in magna illa accuratone et animi sobrietate quae quo magis solebat a multis aliena esse grammaticis, eo majorem ad eam, quam dixi, rem demonstrandam vim habere necesse est. Accedit quod utrinque habemus hominem aliorum opiniones percensentem.

et Av. II. II. disserentem legimus, eundem esse hominem non cum eo qui τὸ ὑπόμνημα citavit, sed cum ipso τοῦ ὑπομνήματος auctore. — Quod si ita est, ista ὑπομνήματα, quorum in hac § mentio facta est, non possunt inter eos fontes referri, quos ipsi tractarunt scholiastae. Nec relictabitur, opinor, quisquam, si etiam illos „interpretes nonnullos“ in schol. Vesp. 343 et 352 citatos non a scholiastis, sed ab eodem illo accurato interprete usurpatos esse dicam.

§. 6.

His expositis reliquos locos tractabo breviter; sunt enim ad unum omnes ita comparati, ut ne tantillum quidem dubitare quemquam posse credam, quin longe vetustiorum interpretum commentarii intelligendi sint, non eum quem manu sua tractasse scholiastam agnovimus, aut quales omnino usurpare scholiastae, recentiori omnes aetate nati, potuerunt. Statim in schol. Plut. 385 τὰ λίαν ἐπιτετηθευμένα ὑπομνήματα non possunt ipsa a scholiasta inspecta et usurpata esse, quum et nimis instructum commentariis eum qui ista usurpavit fuisse indicent, et simul cum istis provocentur Callistratus, Euphronius, *Διδασκαλιῶν* auctor i. e. Aristoteles, quos, si illos praecipua cura elaboratos commentarios suis scholiastam manibus usurpasse concederemus, et ipsos suis oculis perlustrasse eum necessario esset, vel ad tutandam constantiae famam, concedendum; quod tamen nemo unquam sibi persuadebit. — Item in schol. Av. 1242 quum interposita inter Callimachi et Apollonii sententias haec legantur: *ἐν δὲ ἐνίοις τῶν σχολικῶν ὑπομνημάτων* (sic enim legendum; male vulgo *ὑπομνήματα*¹⁾ *ταυτὶ γέγραπται κ. τ. λ.* — si nihil aliud, certe ipsa illa conjunctio certissime demonstrat, de antiquioribus cogitandum esse commentariis, quam quos scholiastae adire liceret. Omnium autem maxime dubitatione carent quae in schol. Av. 283 de ὑπομνήμασι traduntur: *λέγεται δὲ καταψεύδεσθαι τῶν ὑπομνημάτων*²⁾, *ὅτι οἱ Ἰππώνικοι καὶ οἱ Καλλιῖαι ἀνωθεν ἐκ διαδοχῆς ἀπὸ πατέρων ἐπὶ παιδάς καθήκουσαν. ὅπερ ἐστὶ ψεῦδος. ὁ πρῶτος γοῦν Καλλιῖας Φανίππου* [legendum³⁾

1) *ὑπομνήματα*, qui de una aliqua sententia dixerit nondum inveni; *σχολικὰ* autem *ὑπομνήματα* i. e. discipulorum in usum conscripta nec in doctorum virorum oculos prodire destinata, aliunde quoque nota sunt; cf. Lehrs de Aristarch. stud. Hom. p. 21 et 25. — Ceterum Ravenas habet *ὑπομνήμασι*.

2) Intelligit τῶν ὑπομνημάτων τινὰ, ultimum hoc ut addatur non est necessarium; cf. modo, ut brevis sim, Aristoph. Nub. 1131: *κἄν γαμῆ ποτ' αὐτὸς ἢ τῶν ξυγγενῶν ἢ τῶν φίλων*, — et Apitz ad Sophocl. Trachin. p. 63.

3) Vide quos de nobili ista familia egisse memorat Meinekius Quaest. Scenic. I, p. 51 not.

Φαίνεσθαι] πατρός ἐστὶν κ. τ. λ., ubi illud λέγεται clare demonstrat, aliorum auctoritatem in istorum commentariorum producenda sententia sequutum scholiastam, non ipsum eis usum esse. —

Sed unus adhuc locus restat, quem quum beatiorem veteribus commentariis scholiastam reddere videatur quam equidem omnia momenta, minima maxima, accurate contemplatus fuisse eum judicaverim, non debeo celare, ne cupide magis quam sobrie agere videar. Servatum enim est inter observationes ad illustrandum Nubium versum 500 scriptas scholium quoddam satis longum, quod ab hisce incipit verbis: ἐν μὲν τοῖς παλαιοῖς ἀντιγράφοις οὕτως εὐρον, — quibus post expositam de Trophonio ejusque oraculo historiam haec subjecta sunt: ἐν δὲ τοῖς νεωτέροις οὕτως, — addita eadem historia, sed paululum variata. Quae, quae sunt externa forma proposita, facile possent minus cautum in eum errorem abripere, ut eadem haec ratione posita esse crederet, qua illud quod e scholl. Plut. et Pac. supra produximus: οὕτως εὐρον ἐν ὑπομνήματι. Id si verum esset, haberemus sane scholiastam Aristophaneum ab antiquis commentariis non mediocriter instructum eumque ita vel doctum vel accuratum, ut quae antiquiores eoque majore fide digni, quaeque recentiores minusque ab idonea aliqua auctoritate probati commentarii referrent, sedulo distinguere examinando vel potuisset vel voluisset. Verum tamen nostrum quidem assensum cohibet Nubium nomen, monetque ne minus caute agendo vere Nubem pro Jove amplexi errorem procreemus. Satis enim constat, inter omnes Aristophanis fabulas nullam fere Nubibus frequentius esse antiquitus lectitatum, quo oportebat evenire ut scholiorum quoque major quam ad alias comoedias moles ad Nubes explicandas pangeretur. Quorum si non minimum numerum non tam ex antiquis commentariis, quam ex ipsis scholiis pridem contextui jam ascriptis haustum esse affirmavero, nihil fortasse aut novi dixisse videbor aut quod concedere mihi vel sine accuratiore demonstratione quisquam dubitaverit. Idem autem in eo de quo cummaxime agitur scholio factum esse, certissimo documento illud est quod hic comparet ἀντιγράφου nomen. Hoc qui de ὑπομνήματι, quale hic quaerimus, dixerit simpliciter, nec alibi quemquam inveni nec, quod maximi est momenti, in his ipsis Aristophaneis scholiis idque eis, de quorum antiquo et sincero minimeque aliorum mala sedulitate turbato fonte nulla potest esse justa dubitatio; immo omnia in eo consentiunt, ut ἀντίγραφα vel ἀντιγραφαί si non accuratius insigniuntur, non dixisse quemquam, certe inter veteres Aristophanis scholiastas, putandum sit, nisi ipsarum fabularum contextum, non commentarios separatim in eas conscriptos;

vide, ut ex majore copia certiora tantum exempla expro-
mam, schol. Thesmoph. 162, schol. Pac. 180, ibid. 219 et
761; ibid. 1309; schol. Equit. 4; schol. Vesp. 676; quorum
cum loquendi consuetudine conspirant quae in ipsis illis
Nubium scholiis cum ad v. 33 ascripta sunt: ὃ μὲν] κατὰ
ἐπίκοπὴν τοῦ εἰρηκῶς. οὕτω ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντι-
γράφων εὐρηται γραφόμενον; tum quae ad v. 976: ἐν δὲ
τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων ΑΜΕΛΕΙ ΤΗΣ ΤΡΙΤΟ-
ΓΕΝΕΙΗΣ εὐρηται, — ubi ipsius fabulae contextum, non
commentarios seorsim in eam editos intelligi patet. Ergo
igitur in tertio quoque eorum loco, qui nobis primus fuit,
intelligamus oportet non puros putos commentarios, sed co-
dices ipsius fabulae, eosque in isto quidem loco tales, qui-
bus jam tum excerptae ex veterum libris observationes ap-
pictae essent¹⁾. — Ita apparet, alius generis atque ceteros
quos tractabamus eum locum esse, quem jure poterimus
ab nostra hac disputatione secludere, ut qui hic quidem non
de secundariorum epitomatorum (vel, ut hoc utar vocabulo,
antiquiorum excerptorum διασκευαστῶν) fontibus quaeri-
mus, sed de eis, quorum qui primi excerpti et allinendi
negotium sustinuerunt copia suppetebat.

§. 7.

Jam possemus remis, ut ajunt, velisque ad alia festi-
nare, nisi utile videretur ad emensum modo spatium pau-
lulum respicere, et quae uberius pertractari oportebat in
brevem aliquam summam contrahere, quo facilius certius-
que reliquum disputationis campum percurrere queamus,
remotis in tempore quae viae impedimento esse videri pos-
sint. Vidimus autem in tota ipsorum scholiorum Aristo-
phaneorum congerie, qualis hodie in Bekkeri editione com-
paret, duos tantummodo esse locos, quibus certius aliquod
indicium de eis fontibus contineri videatur, quos ipsis scho-
liastis adire licuerit; eum fontem fuisse ὑπόμνημα quoddam,
a scholiastis non accuratius quidem descriptum et significa-
tum, at ita tamen significatum, ut plura ejus generis scripta
ipsis ad manus non fuisse vel sic certissime possit affir-
mari²⁾, praesertim quum reliqui loci, unde plura eis ejus-

1) Sed Stoeckerum si audias, de Sophoclis et Aristoph. interpreli-
bus graecis, p. 1 seq. jam tum, quum ederentur primum, Aristophanis
comoediis scholia quaedam ascripta fuerunt. Hoc si verum esset, anti-
quissimi jam scholiastae ubi nanciscabantur Aristophaneos codices (ἀν-
τιγραφα) simul cum his oporteret etiam ὑπομνηματὰ nacti essent, adeo
ut et reliqua disputassem frustra, et illud infirmum esset argumentum,
ἀντιγράφων nomine in schol. Nub. l. l. cognosci novitium scholiastam. —
At quae affert Stoeckerus opinionis suae argumenta, et levia sunt, et ita
comparata, ut in contrariam quoque partem uti eis possis eodem jure.

2) Loquitur enim scholiasta Plut. 1037 de „εἰς ὑπόμνηματι“, qua

modi scripta suppetisse probatum ire possit aliquis, nihil in contrariam partem valeant, dummodo ne temere quis omnia conturbare, sed, quo omnium maxime opus est, caute et accurate agere velit. — Verum hoc ipsum nostrum officium severe admonet, ut ne alias quaestiones duas, non minutas illas nec minimi in rem nostram momenti, cupidius praetermittamus. Quid enim? idemne possit de uno illo *ὑπομνήματι* statui, quod de ceteris *ὑπομνήμασι* ita simpliciter, nec additis auctorum nominibus, citatis statuendum vidimus, antiquiores intelligendos esse libros, quam quos scholiastas suis ipsos manibus tractasse verisimile sit, — adeo ut hunc commentarium tantum absit ut ipsi inspexerint, ut nihil nisi observationes quasdam a nescio quo inde excerptas habuerint, quas iisdem quibus invenerint verbis scriptas exemplaribus Aristophaneis addiderint. — Verum ejus opinionis qui patrocinium suscipere velit, ei quid respondeam habeo vel potius de quo responderi mihi ab ipso velim. Perlibenter enim equidem scire cupiam, qui commentarius quomodo non a scholiasta aliquo, sed ab antiquo aliquo interprete ita simpliciter potuerit in testimonium vocari, quem satis magnam commentariorum copiam in explicando Aristophane adhibuisse cum ex parte jam vidimus, tum postea etiam clarius apparebit; cujus tandem inter priores interpretes *ὑπόμνημα* tantam potuisset famam nactum esse tamque clara et omnium consensu celebrata eruditionis specie excellere, ut nihil timendum esset posteriori interpreti ut vel omisso auctoris nomine omnino tamen uno consensu opinio ad verum *ὑπομνήματος* auctorem ferretur? Ad quae si responderi mihi velim non credo me Graecorum instar male feriatorum de Sirenum cantu quaerere, aut si qua alia quaestio excogitari potest aequae inepta; neque enim cum prorsus ignoto homine nobis res est; nam vixit τοῦ *ὑπομνήματος* auctor Didymo et ceteris plerisque omnibus Aristophanis interpretibus recentior¹⁾; ipseque indicat, se antiquiorum observationibus debere multum. Ineptine igitur est et male feriati ita quaerere, qui talis interpres potuerit ea, qua dixi, honorifica mentione ab

simplici denominatione in aliqua *ὑπομνήματων* copia uti non potuisset. At in schol. Pac. 742 citatur sane „*ὑπομνημα*“ (non τὸ *ὑπόμν.*), quod denuo conturbare omnia minatur. Sed vereor, ne articulum aut librarius aliquis aut ipse scholiasta male omiserit; id ut statuam illud me movet, quod articulus in eo loco (cui in tota mea disputatione tribuo minimum, nedum pro praecipuo eum fundamento habeam) adjectus egregie mea firmat, omissus autem omnibus argumentis eisque aliunde firmissimis repugnat.

1) Namque ipsum Didymum citari in *ὑπομνήματι* isto, probabiliter opinor, supra statui. Ergo non potuit ejus auctor Didymo reliquisque interpretibus plurimis, quos Didymus excepit demum (ut infra ex eorum catalogo apparebit), antiquior esse.

alio quodam interprete citari, praesertim ubi hunc statuas et ipsum doctos illos et antiquos interpretes consuluisse. Quodsi tamen ad haec, ut non tam auguror, quam certo scio, responderi nequit, non liberam judicandi facultatem per tenebras, quibus hic tegantur omnia, nobis ereptam clamitare possumus, sed libere confitendum erit, rem ita fuisse comparatam, ut ne potuerit quidem ita quaeri, i. e. τὸ *ὑπόμνημα* non ab aliquo antiquo interprete, sed a scholiasta recentiore citatum esse. Tales autem homines si de τῷ *ὑπομνήματι* loquutos esse dicimus, simili quaestione non jam possumus torqueri; nam per se non est vero dissimile, non plura eis *ὑπομνήματα* suppetisse, sed unicum tantum; istud autem unicum certumque recte potuerunt (si quis hoc forte nesciat) τὸ *ὑπόμνημα* appellare.

§. 8.

Alterum quod priusquam cetera persequar convenire mihi cum lectoribus oportere innui, ad eam quae neminem fugit scholiastarum multitudinem pertinet, quorum conjunctae industriae copias nostras servatas debemus. Qui quum numero plures sint, docti indocti, antiqui recentiores, accurati et prudentes vani et stulti, — illud quaeri potest, omnibusne istius *ὑπομνήματος* copiam fuisse judicem, an uni tantummodo et alteri; tum, si illud, quale fuisse judicaverim *ὑπόμνημα*, quod et prudentibus et stultis aequae conveniret; sin alterum, quem potissimum ex tanta multitudine hac parte beatum fortunatumque fuisse putem. Ad quae et si qua similiter quaeri possunt, quamquam satis certo ut in tanta rerum obscuritate respondere posse mihi videor, est tamen res majoris moliminis longioremque sibi disputationem postulat, quam qualem hic capiat locus, quo in transcurso paululum subsistentes nonnulla contemplamur obiter; nunc illud tantum moneo quod et facilius est ad demonstrandum et vero etiam brevius doceri potest: *ὑπόμνημα* illud antiquioribus certe et doctioribus inter scholiastas Aristophaneos ad manus fuisse, nec uni alicui, sed pluribus numero. Etenim si unquam certi quidquam ab externa observationum forma de aetate, non dico suspicari, sed affirmare potuerunt docti, qua illas qui scripserint inter vivos degerint: hic omnia praesto sunt argumenta, quibus dilucide appareat, antiquos fuisse scholiastas, qui *ὑπόμνημα* istud usurpaverint vel soli vel una cum reliquis; illa dico argumenta, quae petuntur ex callido isto studio, doctrinae alicujus fonte celato, omnem eruditionis laudem sibi vindicandi soli, a quo antiquissimi quique grammatici longissime abhorrebant; tum quae ex nimia ista ducuntur dicamne suspicandi an hariolandi libidine, qua eas *ἀπορίας*, quarum

λύσεις vel doctissimis grammaticis anxieque omnia antiquitatis monumenta rimantibus tam parum prospere cesserant ut suam ipsi inscitiam ingenue confiterentur, — nonnulli ique nec docti nec accurati quasi quidam vates solius ingenii vanis viribus leviter et arroganter solvere conabantur; cui quidem libidini, quo quis erat recentior aetate itaque minus solida doctrina adjutus, eo saepius et libentius indulgere solebat. Jam contende mihi illud ad Plut. 1037 scholium, unde primum hanc commentarii Aristophanei memoriam instauravimus, cum duobus reliquis quae ad eundem explicandum versum scripta sunt; horum prius ipsum quoque ut in re obscura longe ab omni satis certae sapientiae nimisque sibi ob veritatem inventam plaudentis superbiae specie remotum est; nec qui hoc scripsit priori scholio sua debet, sed eundem potius atque illud fontem usurpavit¹⁾. Nam secundum scholiastam non exscripsisse priorem illud fidem facit, quod quae de Hyperboli apud Eupolidem matre tradit, paulo sunt a priore scholio diversa. Tota autem secundi scholii conformatio prioris ita est similis, ut non possit utrumque non ex eodem libro depromptum videri; cui ne eam, quam modo attigi, diversitatem opponas: utriusque scholiastae narrationem lepidissimo invento nec indigno illo Eupolidea Musa inter se conciliavit Fritzsche²⁾, cuius ipsa placet verba apponere: „recte et prior grammaticus prodit, Maricantis parentem cum τηλία comparatam esse, et magis enucleate alter docet, Maricantis ossa in τηλιαν injecta fuisse dici. Nam Eupolis Docopistrinam cum τηλία sic comparaverat ob pinguitudinem, ut ossa Hyperboli in hanc tabulam (τηλιαν) injecta fuisse ostenderet, eo videlicet tempore, quo illa foetum conceptum in utero gestasset.“ — Hinc apparet sua utrumque scholiastam scribere potuisse, si eundem uterque fontem usurpabat, non item si posterior priorem exscripsit. — Jam vero vide tertium scholiastam, qui doctum antiquiorum grammaticorum de significatione vocis τηλία certamen breviter leviterque ita dirimit, ut τηλιαν hic pro καρδία accipiendum esse edicat admistis alienis nonnullis, quae ad ostentandam doctrinam magis quam ad explicandum Aristophanem scripta sunt: ut appareat ultimum scholiastam novitium esse auctorem, reliquos autem duo, qui υπόμνημα istud usurpabant, ultimo antiquiores. — Similiter de altero

1) Itemque alium se quam proprium ingenium ducem sequi indicat, quamquam paululum obscurius; ita enim loquitur: τηλία έχει μὲν τι καθ' ἑαυτὸ ἄπορον, ἐὰν δὲ τὸ ἐν Μαρικῆ προσέλθῃ, ἔσθαι εἰς τηλιαν φησὶ τὰ καὶ Περσέδου ὁστὰ βεβλήσθαι, ἀπορώτερον ἔσθαι, ζητητέον ὅν κ. τ. λ. ubi cur nec φασὶ corrigere nec τις vel Ἐυπολις addere velim, sed ita statuat. υπόμνηματος auctorem a scholiasta indicari, postea apparebit §. 18.

2) Cf. Fritzsche in Act. societ. graec. I. p. 134.

loco, ubi υπόμνημα illud Aristophaneum non adhibitum solum sed etiam indicatum tamquam fons esse videtur, schol. Pac. 742, judicandum esse manifestum fit, si quis quae de eadem re in schol. Vesp. 1035 narrantur in comparisonem vocare velit; namque quum duae imprimis ejus versus olim interpretationes increbuisse videamus, alteram nescio nunc quidem ejus, quem tamen ab υπόμνηματος auctore non diversum esse judico, Didymi alteram, qui suam illam interpretationem doctissime illustraverat: scholiasta Vesp. 1035, quem probabilius saltem est diversum quam non diversum a scholiasta Pac. 742 esse, utramque interpretationem in unam conjunxit et pro suis vendidit, item quam sine dubio Didymo debebat depromptam e Duridis Samii libris, ab ipso scholiasta numquam, mihi crede, usurpatis, de Lamia narrationem ita in rem suam convertit, ut unde ipsi Duridis ejusque historiarum memoria innotuerit studiosae celaret, ne quis scilicet dubitaret lectorum, quin cum docto sibi multaeque lectionis viro res esset. — Quae quum ita sint, jure mihi videor affirmare posse, commentarium Aristophaneum toties commemoratum ab eis jam fuisse usurpatum, qui, plures numero, primi et antiquissimi e majoribus et integris copiis decerptas quasdam particulas contextui Aristophaneo ascripserunt, scholiorumque nostrorum auctores exitere principes. — His autem quum unum tantum suppeteret υπόμνημα, nae illi, qui post hosce recentiori tempore idem subibant negotium, gratulari sibi poterant, si et ipsi unicum istud υπόμνημα nacti erant nec omni ejusmodi carebant auxilio; nedum plura sibi quam antiquioribus illis adjumenta parata fore sperare unquam possent.

§. 9.

Priusquam autem totum hunc locum missum faciam, pauca lubet adjicere, quae egregie meum illud iudicium firmare video, quod ipsorum vestigiis scholiorum insistens de υπόμνηματι isto Aristophaneo tuli. Extat enim in Eustathii, theologorum doctissimi, commentariis ad Homeri Iliadem scriptis haec quantivis pretii observatio, p. 746 B. ed. Roman. = p. 254, 30 Lips.: τὸ δὲ χαιρέτον ἀρχαιοτάτη φιλική προσφώνησις ἐπιστολιματὸς τε καὶ ἑτροία, ὡς καὶ ὁ κωμικὸς καὶ ὁ κατ' αὐτὸν ὑπομνηματισμὸς ἐν τῷ Ἰλιούτῳ δηλοῖ: quae non est obscurum quin ad schol. Plut. 322 pertineant, ubi tametsi non placuit scholiastae fontem eruditionis suae indicare, non videtur tamen dubitari posse, quin idem illud υπόμνημα quode abunde jam disputavimus cum scholiasta hic quoque excerpterit, tum Eustathius innuerit; neque aliter judico de ejusdem Eustathii observatione in Iliad. Ὀ, 441, p. 722 Rom. = 221, 31

Lips. quae ita habet: — *καταπέτασμα*, ὅπερ ὁ κωμικὸς *παραπέτασμα* 1) λέγει, *δυνάμενον ὡς εἰκὸς ῥηθῆναι καὶ περιπέτασμα*, ὡς δηλοῖ ὁ ἐξηγησάμενος παρ' αὐτῶ τὸ ὄνοματι *περιπέττουσι τὴν μοχθηρίαν*, — ubi respicit ad schol. Plut. 159, ex quo quae huc pertinent apponam: τὸ δὲ *περιπέττειν* ἦτοι ἀπὸ τοῦ *παραπέτασματος* εἴρηται, ἢ ἀπὸ τῶν *ζῦμη τὰ ἄλλοιτα περιλαμβανόντων*, — quae ut cum Eustathio conciliaret Hemsterhusius 2), tantum huic tribuit, ut in scholiasta ἀπὸ τοῦ *περιπέτασματος* corrigendum censeret, quod vereor ut satis recte fecerit; namque ne hoc opponam, ne sic quidem tradere scholiastam, quod demonstratum se invenisse testatur Eustathius, *παραπέτασμα δύνασθαι ῥηθῆναι καὶ περιπέτασμα*, — nihil enim ex Hemsterhusii quidem emendatione tradit scholiasta nisi hoc: *περιπέττειν* hic esse quasi *περιπέτασματι περικαλύπτειν* aut quasi *ζῦμη περιλαμβάνειν ὡς ἄλλοιτά τινα* 3), id quod in vulgata quoque scriptura tradit, — hoc igitur ne opponam, — quae, malum, audacia est ita statuere, Eustathium ipsum nostrum scholiastam legisse, ut alter ex altero certissima ratione emendari possit? immo si verum fateri volumus quodque ab omnium et negligentia et cupiditate aequae abhorreat unice sectamur, non poterit aliter statui nisi ut utrumque dicamus ex eodem fonte sua hausisse 4), i. e. ex hypomnematē illo Aristophaneo, Eustathium autem integrius quae in illo invenerit rettulisse, scholiastam contra aliquam tantum totius interpretationis summam inde sumpsisse, de singulis quibus firmata erat interpretatio paullulum securiorem. Neque enim quisquam sibi persuadebit facile, alium hic, in

1) Aristoph. Ran. 936 Bekk.

2) Hemsterh. ad Plut. p. 49 Lips.

3) Noli enim putare, scholiastam voluisse originalem aliquam formae vocabulique (non significationis) proponere; id refelleret quod statim sequitur: ἢ ἀπὸ τῶν ζῦμη — *περιλ.* Ergo hoc dicit: das Bild sei hergenommen vom Schleier oder vom Bäcker, non hoc: das Wort *περιπέττειν* sei abzuleiten etc.

4) Non dissimulabo tamen ab eodem Eustathio ad Od. δ. 73 p. 1483 Rom. citari τὸς τοῦ κωμικοῦ σχολιαστὰς, ubi aperte respicit ad schol. Equit. 530. Sed eo ne quis propositam supra sententiam propulsare velit, quasi Eustathius illis quoque in locis scholiastas intellexerit ab eis qui in nostris libris sunt diversos, — primum illud moneo, non videri unquam Eustathium *ὑπομνηματισμοῦ* et *ὑπομνηματιστοῦ* honorifico nomine scholiastas aut scholiastarum curas insignivisse; tum quidni possit Eustathius et excerptas ex eo *ὑπομνήματι* observationes (i. e. scholia), et ipsum illud *ὑπόμνημα* trivisse, quemadmodum simile quid in Homero quoque ei accidit, ad quem explicandum (Lehrsio teste, de Arist. p. 40) et scholiorum volumine eorum usus est, quae codex Venetus A habet, et (qui eosdem cum isto volumine fontes sequebatur) Apionis et Herodori commentarium. — Plerumque igitur incertum manebit, ipsumne veterem interpretem an ejus sectatores, scholiastas, sequutus Eustathius sit, ubi eadem fere cum scholiis Aristophaneis tradit; quales locos indicavit Hemsterh. ad Plut. p. 153, 187, 188, 340 etc.

superiore loco alium ab Eustathio significatum commentatorem esse; hunc autem quum in schol. Plut. 322 agnovimus a scholiasta usurpatum, quidni eundem jure putabimus etiam a scholiasta ad Plut. 159 adhibitum esse; quodsi tamen hic scholiasta paululum ab Eustathii narratione recedit, id non poterit alia nisi qua dixi ratione explicari. — In universum autem, — ut cur Eustathii memoriam ad omnem disputationem nostram utilissimam judicaverim tandem aliquando exponam, — ex utroque Eustathii loco illud apparere credo, Eustathium quoque trivisse commentarium aliquem Aristophaneum, qui sua se indole ita habuerit, ut ὁ *ὑπομνηματισμὸς* simpliciter vocari poterit; sed hoc fieri potuit ob duplicem causam, aut quod ita clarus erat itaque per omnium ora manusque commentarius ferebatur, ut vel celato auctoris nomine omnes tamen possent quem inter aliquam commentatorum turbam indicare Eustathius vellet intelligere; — aut quod unicus tum iste commentarius superstes erat, reliquis temporum decursu ex hominum manibus animisque elapsis, isque satis tritus et Eustathio certe ut unicus in suo genere notus. Harum autem denominationis istius causarum quum ultima procul dubio sit probabilior, Eustathii memoria haud levem iis addit vim, quae supra explanavi: scholiastis Aristophaneis unum tantum in interpretando commentarium suppetisse, eumque a pluribus comici scholiastis adhibitum videri.

§. 10.

Redeo in viam, ubi statim nova animum advertit quaestio perquam illa difficilis: quid de amplitudine *ὑπομνηματος* judicandum sit quotque in eo fabulae explanatae videantur; quod plene apteque ad persuadendum disputari nequit, nisi prius ex parte saltem in scholiorum Aristophaneorum hodie superstitem naturam rationemque altius a nobis inquisitum erit; aperta enim quaeque in medio posita sunt si rimarer sola, non liceret quicquam affirmare, nisi ad Plutum Pacemque, ad summum etiam ad Vespas et Aves fabulas propter scholia §. 5. enumerata, istud *ὑπόμνημα* pertinuisse. — Sed si quis accuratius et ad talia intentus scholiorum congeriem pertractaverit, hoc non fugiet opinor quemquam quod satis est memorabile: saepissime lectores in scholiis ad alias in aliarum Aristophanis fabularum interpretatione propositas observationes remitti ad eaque vel retractanda animo vel ante uberiorem expositionem aequi bonique consulenda tenendaque invitari, quae vel antea exposita sint vel postilla tractentur accuratius. Quae quidem interpretandi ratio quamquam non ab omnibus quae aetatem tulerunt scholiorum collectionibus prorsus

aliena est, tamen neque aliam ullam hodieque extare arbitror collectionem in qua frequentius istud interpretandi genus conspiciatur quam in Aristophaneorum scholiorum congerie, neque, ubi invenitur, omni probabilitatis specie destituta est suspicio, ejusmodi scholia ex uberioribus antiquiorum grammaticorum copiis fluxisse, qui perpetuo commentario (ut hodie loqui amant parum latine) scriptorem explanaverint, neque eam ad alias in eodem scriptore propositas observationes amandandi consuetudinem a noviliis demum interpretibus, scholiastas dico, investam esse, qui nisi egregie fallor tametsi frustula ubique et lautarum dapium fragmenta apposuerunt, tamen haec ipsa frustula denuo dissectare minutim dissectaque alia alibi proponere minus studebant, quam in unum omnia quae scirent locum conferre, neque tanta unquam agebant accuratatione, ut his terve eadem se tractasse necessarium ducerent monere. — Sed quae alibi non improbabilis fortassis est suspicio, in ejus locum in Aristophaneis scholiis succedere potest perseverans affirmatio. Primum enim illud considera: citantur in scholiis commentarii ad unam alteramve Aristophanis fabulam conscripti, quae fabulae, si quid veterum scriptorum rariori earum memoriae tribui potest, tum si ex codicum nostrorum vel vetustissimorum et ditissimorum penuria fabularum certi quidpiam colligi licet, — non solum hodie inter deperditas numerari debent, sed vel antiquioribus multo scholiastarum temporibus dudum desiderant legi atque describi, Holcades dico et Danaides; nam quod Hemsterhusius ¹⁾ Pelargorum quoque citari commentarium aliquando putabat in schol. Plut. 665: *Νεοκλειδης εις πολλὰ πενωμώδηται, εις ζήτορα, και τὰ δημόσια κλέπτοντα, και ξένον, και τὰς ύφεις λελωβημένον. εῖρηται δὲ και ἐν Πελαργοῖς περὶ αὐτοῦ, ὅτι ζήτωρ και συκοφάντης*, — mirum est hoc placuisse cui raro aliena placent, F. V. Fritzschio ²⁾, cujus quidem assensum si loquendi usus qualis in hisce scholiis obtinet retardare non poterat ³⁾, certe ipsius scholii forma debebat cohibere; quum enim semel dixisset scholiasta: *πενωμώδηται εις ζήτορα*, ex parte saltem plane superfluum erat addere, in commentariis ad Pelargos quoque legi, Neoclidem rhetora et sycophantam fuisse, praesertim ipsius fabulae verbis omissis. Praestabat igitur in altera Hemsterhusii explicatione acquiescere, „ipsum Aristophanem ἐν Πελαργοῖς

1) Hemsterh. ad Plut. p. 223, b. Lips.

2) Fritzsche, de Aristoph. Pelargis, in Quaest. Aristoph. I. p. 87.

3) Sunt enim satis certa exempla, quibus ejusmodi quas hic sequimur formulis, εῖρηται etc., etiam ad ipsum contextum, non ad commentarios respicere solitos scholiastas esse appareat; cf. modo schol. Th. 1032, Av. 1442, Eq. 883, imprimis autem schol. Vesp. 60: ἐν τοῖς πρώτοις διδασκαλίαις δρᾶμασιν — πολλὰ προσέθηται.

Neoclidae meminisse tamquam rhetoris et sycophantae, itaque statuere, quemadmodum rhetoris vituperium scholiasta hausit sine dubio e Plut. 725 vel Eccles. 397, lippitudinis hebetiorumque oculorum ¹⁾ ex Eccles. 255, 397 sq. Plut. 665, 747, rapacitatis ex parte saltem ex Plut. 665, ξενίας ²⁾, ex alia notiore fabula nescio qua, ita eundem, in Pelargis ut ζήτορα et συκοφάντην derisum ab Aristophane Neoclidem, vel suis oculis legisse vel aliis qui legerint credidisse, nomenque fabulae addidisse, quod non admodum nota ea et trita fuerit. — Itaque nos quidem non nisi duas ex deperditis Aristophanis fabulis qui commentariis olim instructae fuerint nominare possumus, Danaides et Holcades, quarum haec memoratur in schol. Lysistr. 722: *τροχίλιων δὲ ἐστὶν ὁ τροχὸς τοῦ ξύλου τοῦ φρεάτος, δι' οὗ ἰμῶσι. δεδήλωται δὲ περὶ τούτου και ἐν Ὀλκᾶσιν*, — et disertius in schol. Av. 1283: *τοῦ δὲ σκντάλιον τὸ ἀεκτείνεται, ὡς ἐν Ὀλκᾶσιν, ἐνθα και τὸ Νικοφάντος ἐξ Ἀφροδίτης Ἰουῶν παρετέθη* ³⁾ κ. τ. λ. Alterius autem fabulae commentarius in partes vocatur schol. Plut. 210: *Ανγκεύς, ὡς αὐτὸς ἐν Δανάσει φησὶν, υἱὸς Αἰγύπτου. ἐροῦμεν δὲ ἐκεῖ τὰ περὶ αὐτοῦ, ἐπεὶ δοκεῖ παρ' ἱστορίαν λέγειν*, — cui in ea de qua dixi re fidem habuit Dindorfius ⁴⁾, non item Fritzschio ⁵⁾ et acutissimi vir ingenii, F. Rankius ⁶⁾, quorum duumvirorum priorem non moramur amplius, quum nihil nisi „incertum esse“ dixerit, „utrum iste homo scholia vere scripserit, an tantummodo voluerit scribere,“ de causis argumentisque ejusmodi iudicii solito hic taciturnior; Rankii vero dissensus suspicione nititur, verba quibuscumque nobis res est, non veteris alicujus scholiastae, sed Thomae Magistri esse, quem sane parum credibile est vidisse Danaides fabulam, nedum commentario ornasse; consentaneum autem erat in eam suspicionem labi postquam semel sibi persuasit Rankius, „Thomam Magistrum ad Plutum, Nubes, Ranas annotationes scripsisse, et crebro in posterioribus fabulis ad ea quae antea dicta sint provocasse“ ⁷⁾, commentariosque Thomanos aliquam esse scholiorum Aldinorum partem. Qua in re solitam equidem viri crisin desidero, quem ab isto iudicio non deterruerit ceterarum contemplatio fabularum, a Thoma quidem, ipso fatente Rankio, non explicata-

1) Quod enim scholiasta τὰς ὄψεις λελωβημένον fuisse Neoclidem narrat, nihil videtur nisi lippitudinem indeque profectam oculorum hebetudinem significare voluisse.

2) Hoc vituperium repetitum legas in schol. Eccles. 254.

3) Ea vox ubique commentarios innuit; vide Valckenar. ad Ammonium p. 117.

4) Dindorf. Fragm. Aristoph. p. 126.

5) Fritzsche Quaest. Arist. I. l.

6) Ranke de Aristophanis vita, I. p. CLXXV.

7) Id. ibid. p. CLXXI.

rum, sed quarum tamen scholia itidem ejusmodi provocacionibus referta sunt; sin vero hoc sibi voluit, in nonnullis scholiorum locis Thomam, in reliquis alios scholiastas ad priores observationes provocasse, tum in universum demonstrandum erat, quibus argumentis illud nitatur, Thomae scholia inter Aldina legi, quibusque indiciis Thomae provocaciones a reliquorum discerni possint, tum cur in schol. Plut. 210 Thomae verba deprehendisse sibi videatur. Ita apparet, Rankium revera hic quidem eodem loco esse atque Fritzschiium nosque eum itidem ob eandem causam morari non posse. — Nisi igitur satis gravia contra scholii fidem argumenta afferantur, — qualia num afferri possint valde dubito, — tuebimur cum Dindorsio commentarium in Danaides, neque — ipsum si haberemus — in posterum nos transmissos a scholiasta tempus esse, quo observationem satis fortasse bonam utilemque perciperemus, magis ferremus graviter, quam quod eadem fecit auctor scholii Vesp. 1446: — τοῦ περὶ τοῦ κανθάρου μύθου καὶ ἐν Εἰρήνῃ μὲμνηται — ὁ ποιητής. — ἐκεῖ δὲ τὰ εἰκότα λεχθήσεται, quem Fortuna Paci ejusque comitatu favente, at contra Danaides ἀνδροκτόνους iniquiore, fidem praestitisse videmus ad Pac. 130 Bekk. —

§. 11.

Verum etsi duas tantummodo e deperditis fabulas nominatim appellare potuimus, quae olim commentariis instructae fuerint, non potest tamen dubitari, quin aliarum quoque fabularum hodie deperditarum commentarii passim respiciantur in eis scholiorum locis, ubi ad observationem aliquam remittimur, quae nec invenitur hodie in nostra sylloge, nec in superstitum fabularum interpretatione locum commode habere potuit, siquidem talis erat interpretatio, quae (ut nobis quidem persuasimus) non persequeretur nisi quae cum poetae verbis arctiore quodam vinculo juncta essent¹⁾. Huc pertinere videntur, quae in schol. Acharn. 106 prostant: ὅτι πάντας τοὺς Ἕλληνας Ἴάονας οἱ βάρβαροι ἐκάλουν προείρηται. nam ne quis suspicetur, ad commentarium versui 104 ascriptum hoc referendum esse, — quamquam ibi nihil hodie de ea re extat, — ea subjungam, quae in eodem ad v. 106 scholio adjecta leguntur: τὸ δὲ αὐ ἀντὶ τοῦ οὐ βαρβαρίζων ἔφη, unde apertum est, non ad v. 106 totum scholium antiquitus scriptum fuisse, quippe qui ita habeat: ὁ τι; χαννοπορώκτους τοὺς Ἴάονας λέγει, sed ad v. 104: οὐ λῆψι χρῆσο χαννοπορώκτ' Ἴαοναῦ, praesertim quum ibi

1) Id jam supra professi sumus. habemusque in ea re assentientem nobis Fritzschiium, de Pelargis p. 87.

quoque de αὐ moneat scholiasta¹⁾; quodsi verum est, primum duo olim scholia ad v. 104 extitisse consequitur; tum²⁾ scholiastas versus istum ita scriptum invenisse: αὐ λῆψι χρῆσο χαννοπορώκτ' Ἴαοναῦ; — postremo, id quod cum maxime ad rem nostram spectat, nihil in Acharnensium quidem fabula praecedere, ad quod observatio ista de generaliori vocis Ἴαονες notione referri possit; atqui ne in ceteris quidem quae supersunt fabulis enucleandis apte legi potuit, ut statuendum sit necessario, scriptam eam observationem esse in commentario ad aliquam fabulam, quae hodie inter deperditas numeratur. — Imprimis autem ad id quo tendo persuadendum aptum est schol. Vesp. 579: ὅτι τραγικός ὑποκριτής ὁ Οὐάγρος, εἴρηται πρότερον. nusquam enim in superstitibus Aristophanis fabulis Oiaagri memoria repetita est, ut in scholiis quoque nostris aptum locum invenire non potuerit, sed in deperditae alicujus fabulae interpretatione oporteat pluribus fuerit exornata. — Ejusdem prorsus generis est schol. ad Av. 764: Ἐξημεσίδησ] πολλαχοῦ προείπομεν ὅτι ξένος οὗτος. at in nostris fabulis praeter Av. 764 non perstringitur iste homo nisi Av. 11 et 1527, scholia autem ad Av. 11 tantummodo ejus historiam enarrarunt, ut utrum de superstitum fabularum commentariis illud πολλαχοῦ προείπομεν valeat, an deperditarum interpretatio comoediarum in auxilium vocari debeat, non possit quisquam magnopere haesitare. Porro quum Aristophanem semel tantum ad scolion καὶ Τελαμῶνος alluisse videamus hodie, in Lysistr. 1237, mirum esset in scholio ad istum locum legi: ἀρχὴ τινος σκολίου, περὶ οὐ δεδήλωται ἤδη, nisi ad deperditas fabulas eorumque commentarios respexisse scholiastam probabile esset. — Sed plura ex hoc genere afferendi facile reprimo pruritus, ne, semel lapsus, fidem ipse ceterorum, quae alioquin non vacillatura arbitror, minuisse videar. Possim autem in ea re labi facillime, quum nonnullas observationes quas alibi se fatentur proposuisse scholiastae aut elusisse meam oculorum aciem facile crediderim, revera hodieque servatas, aut non extare quidem hodie, sed ex superstitum fabularum commentariis aut temporis injuria aut consilio hominum excidisse³⁾; hinc

1) Schol. ad Ach. 104: ὡς βάρβαρος δὲ τὸ αὐ ἔφη, Διορκῶν ἀντὶ ἐλληρίζομενον, quorum licet corruptio sit manifesta, non est tamen ab editoribus medela subministrata; potest autem ita scribi: — βαρβαρικῶν ἀντὶ ἑλλ. quamquam latet fortasse aliquid exquisitius.

2) Nisi praestare iudices in scholio scribendum esse: αὐ ἀντὶ τοῦ ες, Ἴαοναῦ pro Ἴαονες.

3) Hujus generis certissimum exemplum habemus in schol. Lysistr. 801: δύο Μυρωνίδαι ἦσαν, ὡς ἐν ταῖς Ἐκκλησιαζούσαις δεδήλωται. Sed in schol. ad Eccles. 303, ubi ab Aristophane alterius tantum Myronidis mentio facta est, nihil ejusmodi hodie invenias. — Praeterea incertum nonnumquam est, ad commentarium an ad ipsius fabulae versus respexerit.

nihil nunc in rem meam colligam ex hisce scholiis, quibus qui velit uti poterit: schol. Nub. 254; Plut. 720; Ran. 1502; Acharn. 925; Equit. 447; ibid. 448; ibid. 898; Vesp. 106; ibid. 947; Av. 487, — quibus locis omnibus quae alibi in Aristophanicis pertractata dicuntur equidem hucusque quaevis frustra, quem alia non fugerunt; ita, ut his utar, non latuit me, scholiastam, qui ad Equit. 1011 haec scripserit: *περὶ δὲ τοῦ ἐν Δελφοῖς τρίποδος εἰς ἀναπλήρωσιν τῶν ἐν τοῖς ἐς τὸν Πλοῦτον λεχθέντων οὐ χεῖρον καὶ τὰ παρὰ Πλουτάρχῳ ἰστορηθέντα ἐν Σόλωνι*¹⁾ *κάνταυθα παραθέσθαι*, — eum igitur respexisse ad schol. Plut. 9; qui ad eandem fabulam posuerit haec v. 1095: *ἰαμβικὸν παρῳδήσεν Σοφοκλέους, ὃ δὴ καὶ ἐν Νεφέλαις παρέθηνεν*, eum in animo habuisse suum ad Nub. 1399 commentarium; qui ad Vespas dixerit v. 1203: *ὅτι ἠγωνίζοντο δρόμῳ λάμπαδας ἔχοντες ἐν τῷ Κεραμεικῷ, φανερόν ἐκ τῶν εἰς Βατραχούς*, — eum intellexisse schol. Ran. 131 et 1091; porro scholiastam Acharn. 359, quum ista moneret: *Κυκλόρορος δὲ ποταμὸς ἐν Ἀθήναις χεῖμαρῶρος, ἀγὰν ἠχῶν, ὡς ἐν τοῖς εἰς τοὺς Ἰππεῖς εἴρηται*, — repeti memoria voluisse schol. Equit. 137; tum respexisse scio schol. Ran. 1246 ad schol. Plut. 143; schol. Pac. 979 ad schol. Ach. 859; schol. Eq. 949 ad schol. Ran. 134; schol. Vesp. 333 ad schol. Eq. 1146 vel 1329; schol. Vesp. 496 ad schol. Equit. 675; schol. Vesp. 1195 ad schol. Ach. 1098; schol. Vesp. 1206 ad schol. Ach. 210; schol. Av. 749 ad schol. Ran. 13 vel 687; schol. Eccles. 332 ad schol. Ran. 46; schol. Plut. 973 ad schol. Plut. 277²⁾; — quae omnia, fatebor enim, facilius poterant inveniri, quoniam scholiastae fabulam simul indicaverant, in qua cujus recolere nos memoriam jubent observationem litteris consignassent. Sed idem tamen haec quoque inveni, ad quae reperienda nihil contulerunt ipsi scholiastae: schol. Ran. 1157 respicere ad schol. Plut. 25; schol. Pac. 973 ad schol. Pac. 776 vel 779; schol. Pac. 1013 ad schol. Pac. 458; schol. Pac. 1193 ad schol. Pac. 1;

runt scholiastae (cf. p. 32 not. ult.). Nec illud raro videtur in scholiis factum, ut quum duo de eadem re scholia e diversis codicibus a collectore aliquo reciperentur, unum tantum integrum reciperetur, alterum autem ita, ut ea tantum, quibus differebat a priore, notarentur, reliqua autem brevi nota *ὡς εἴρηται* indicaretur in hoc quoque scholio esse; hoc attingere videtur schol. Av. 1297 (de quo cf. infra §. 24), schol. Eq. 84, et alia fortasse plura.

1) Ita scripsi Küstero obsequutus.

2) Ultimum accedit e cod. Parisin. cui in talibus non multum tribuendum esse, supra monui. Et hic quidem etiam illud fidei minuit, quod scriptum in isto scholio (ad v. 973) ita est: *ὡς ἐμπεροσθεν τὴν ἰστορίαν εἴπομεν εἰς τὸ ἐν τῷ σοφῷ νῦν λεχθὲν τὸ γράμμα σου (v. 277): τὸ ἐμπεροσθεν enim apud optimos quosque grammaticos vocari, „quod infra dicendum erit,” Lobeckius demonstravit, ad Phrynich. p. 11.*

schol. Eq. 395 ad schol. Eq. 62; schol. Eq. 704 ad schol. Eq. 367; schol. Eq. 1085 ad schol. Eq. 103; schol. Vesp. 418 ad schol. Vesp. 42 et 43 vel Ach. 134 vel Eq. 606¹⁾; schol. Vesp. 592 ad schol. Equit. 1290 vel 1369 vel Nub. 352 vel ibid. 670 vel Ach. 88²⁾; schol. Vesp. 649 ad schol. Ran. 506; schol. Vesp. 830 ad schol. Vesp. 386; schol. Vesp. 836 ad schol. Vesp. 240; schol. Vesp. 1007 ad schol. Nub. 1048 vel schol. Ach. 811; schol. Vesp. 1270 ad schol. Nub. 110; schol. Vesp. 1386 ad schol. Ach. 525³⁾; schol. Plut. 149 ad schol. Plut. 179; schol. Plut. 351 ad schol. Plut. 69; schol. Av. 78 ad schol. Equit. 979; schol. Av. 857 ad schol. Pac. 916; schol. Av. 1126 ad schol. Av. 822; schol. Eccles. 361 ad schol. Vesp. 155; schol. Plut. 303⁴⁾ ad schol. Plut. 179; schol. Pac. 117⁵⁾ ad schol. Plut. 394, Ran. 189, Nub. 134; schol. Pac. 1260 ad schol. Vesp. 19, ibid. 592, Eq. 1290, ibid. 1369, Nub. 352, 670⁶⁾; schol. Nub. 65 ad schol. Nub. 49; schol. Pac. 768 ad schol. Vesp. 1509; schol. Pac. 855 ad schol. Ach. 146; schol. Pac. 1025 ad schol. Pac. 1011; schol. Vesp. 1529 ad schol. Vesp. 1517; schol. Av. 922 ad schol. Nub. 1133; postremo aliquo quem oblitus sum loco saepius monuisse se dicit inter-

1) Sed in istis scholiis partem tantum (de solo Theoro) invenies eorum, de quibus pridem se exposuisse schol. Vesp. 418 affirmat: *περὶ Θεώρου καὶ Γοργίου ἐν τοῖς πρὸ τούτου εἴρηται*, quem cur ad schol. Av. 1699 (ubi de Gorgia) non credam respexisse, postea apparebit, §. 14.

2) In his quoque scholiis non omnia invenientur, quae alibi observata monet schol. Vesp. 592; nihil enim de Cleonymi studio adulandi neque ibi expositum invenies, neque in hisce scholiis, quae consulto omisi alia ex alia causa: schol. Pac. 1260, 656, 1236; Av. 290, 1473, 1474; Eq. 1290; Vesp. 822; Av. 288.

3) Non ad schol. Pac. 533, quod cur minus credibile censeam, exponam postea, §. 14.

4) Siquidem verum est, quod rescribendum ibi censeo: *δὴλόν δὲ ἐκ τῶν περὶ Φιλοκρίδου διειλημένων*, in libris est *ἐκ τοῦ — διειληφέναι*.

5) Schol. Pac. 117: *πολλάκις εἴπομεν, ὅτι* (hoc addendum) *εἰς κόρακας ἤλεγον οἱ παλαιοί, καὶ τὴν ἐπὶ τούτῳ ἰστορίαν διηγησάμενοι* (scrib. *διηγησάμεθα*). Totum scholium accessit e codice Veneto. — Ceterum quod *εἰς κόρακας* legimus apud scholiastam, constat hodie non *εἰς κόρακας*, sed *εἰς κόρακας* cum reliquis Atticis omnibus (cf. Reisigii Conjectan. Arist. p. 252) Aristophanem quoque dixisse: cf. Meier. de Arist. Ranis Comment. I. p. VIII. Quod quum Reisigius observaret, inscius antiquam veterum grammaticorum observationem instauravit; vide enim Helladii Chrest. apud Phot. bibl. p. 533, b. ed. Bekk.: *ὅτι οἱ Ἄττικοι κατὰ τι πέντημον εἶδος οὐ χρῶνται τῇ ἐν διφθόγγῳ ἐν τῷ λέγειν εἰς κόρακας ἢ εἰς μυκαρίαν, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ διχρόνου ἐμφανέου τὴν πρόθεσιν*.

6) Cf. not. 2. — Avium scholia quae huc faciunt, consulto omisi. — Praeterea de universo indice illud moneo, — ne cui negligenter in conficiendo eo versatus videar, — schol. Av. 487 non ad aliquam quae alibi proposita sit observationem (quales solas in indice nostro venati sumus) respicere videri, sed ad ipsa quae praecedunt ejusdem scholii verba. — Praeterea cf. p. 35 not. 3 extr. De scholl. autem Pluti 782 et Vesp. 822 postea exponam, §. 14.

pres, μή interdum poni pro οὐ, estque talis observatio etiamnum in schol. Av. 109, propter quam abeat — non quidem Marboniam, sed Alabandam, ubi si utatur ipse isto solecismo, quos alioquin ubique inveniet reprehensores, reperiet nullos, si Stephano Byzantio fides sub *Αλάβανδα*.

§. 12.

Atque haec quidem omnia quum in unum coegerim, nolim apud quemquam in obscurae diligentiae (ut ille ait) vituperium incurram, quam fructuosam fore disputationi meae ita mihi persuasi, ut non videar ab ea opinione divelli posse. Quid enim? ista tam multa qui liber ab omni praejudicata opinione accurate contemplatur, qui poterit serio statuere, a scholiastis ejusmodi provocationum originem esse repetendam, quorum diligentia, si qua erat, non tam in aliorum succurrendo memoriae placere sibi potuit, sed iis ipsis prospiciebat solis quibus innata erat, i. e. in suum proprium usum scholiastae scripserunt magis, quam ad docendos alios¹⁾; ut ter quaterve quidem eos semet ipsos ad aliam observationem ab ipsis alibi propositam remisisse credibile sit, sed non quadraginta amplius locis, nec cogitari facile possit, in duas partes longo intervallo disjunctas eandem eos observationem dispescere maluisse, quam in unum locum totam cogere: quippe hac ratione suae utilitati, quam unice sectabantur, prospiciebant optime, illa minime consulebant, sed sibimet impedimenta obstruebant ipsi. — Porro, quacumque tandem aetate vixerunt qui primi scholia ad contextus oram adscribere coeperunt, — quam aetatem nemo facile quovis pignore contendat nimis antiquam fuisse, — estne magis credibile, scholiastas tot vel servatas vel perditas hodie Aristophanis fabulas legisse et interpretatos esse, quam eosdem Eupolidis quoque, Cratini aliorumque non comicorum solum, sed ceterorum etiam scriptorum antiquissimorum qui in scholiis citantur opera trivisse mani-

1) Semel monuisse satis est, ubicumque de scholiis et scholiastis loquimur, eorum nos intelligere labores, qui quae ad interpretandum scriptorem aliquem afferebant, undeunde haec fuerunt deprompta, non in proprio aliquo libro eoque arte quadam et continuate scripto exposuere, sed in margines codicum conjiciebant. Quod qui faciebant non dubitandum quin id sua magis quam aliorum causa fecerint. — Ceterum nolim quisquam putet, in nimis angustum orbem utriusque vocabuli (scholii et scholiastae) significationem omnem me coegisse, quam ultro largiar, si etymon consideres scriptorumque nonnullorum usum, etiam honorificentiore significatione utramque vocem et potuisse usurpari et revera usurpatam esse. Sed ea disputationem nostram non attingit, in qua nolimus de aliis atque quos significavi scholiastis disserere. Id qui non debuisse me nolle putat, ei demonstrandum erit, veteres quoque illos *ὑποσημασιωτάς* non in peculiaribus libris, sed in marginibus codicum interpretationes suas exposuisse.

bus? — eos scriptores quum nemo facile existat hodie qui ex antiquiorum et doctiorum copiis grammaticorum innovasse scholiastis Aristophaneis negare velit plerosque omnes, — cur minus credibile possit videri, multas Aristophanis quoque fabulas scholiastas non vidisse, neque igitur commentarios in eas scribere potuisse, ad quos in eis quas habebant fabulis explicandis respicere potuerint, — praesertim quum ex antiquissimis nostris optimaque notae codicibus non fallax derivari queat iudicium, quam antiquis temporibus Aristophanearum fabularum maxima pars interierit. Tum eadem illa codicum contemplatio id quoque docet, rarissime vel eas quas hodie servatas nobis gratulamur fabulas junctim antiquitus descriptas fuisse omnes, adeo ut continuam quoque omnium interpretationem, cujus vestigia in provocationibus illis hodieque conspicimus, scholiastae vix scribere possent, quippe quorum interpretatio cum ipsarum fabularum contextu in ejusdem voluminis ambitu conjuncta esset, nec ultra eas fabulas progredetur, quae in cujusque codice junctim descriptae erant.

Sed alia simul ex isto indice mihi subnata observatio est, qua non minus certo illud me persuasurum spero, non a scholiastis profectam esse istam ad aliorum quam qui tractantur cummaxime locorum interpretationem amandandi consuetudinem. Neque enim, si quis attendere velit, fugiet quemquam, alium in interpretando fabularum ordinem secutos esse scholiastas atque quem ratio temporum, quibus doctae erant fabulae, commendabat, quemque in ipsarum fabularum scholiorumque contextu edendo Bekkerus nuper sequutus est; — unde quid colligi possit priusquam demonstrare conabor, uberiore de ipso illo ordine disputatione non potero supersedere.

§. 13.

Ordiamur autem investigaturi ordinem ab Acharnensibus et Equitibus, quas inter omnes quae supersunt Aristophanis fabulas primas in scenam datas esse constat, et ita quidem, ut Equites totius anni intervallo priorem, Acharnenses, exceperit; sed eam temporis rationem in commentariis minime fuisse observatam, disertum habemus testimonium in schol. Acharn. 359, quod jam supra apposuimus: *Κυκλόβορος δὲ πόταμος ἐν Ἀθήναις — ὡς ἐν τοῖς εἰς τοὺς Ἰππεῖς εἰρηται¹⁾*; unde non potest non colligi, Acharnen-

1) Disertum hoc dixi testimonium esse, nec minus diserta reliqua, quibus ordinem istum eruam, testimonia habere videbor, etsi Lehrsiius, Quaest. epic. p. 37 seq. monuit, nihil magis ambiguum istis perfectis esse, quibus, ut hoc utor, Eustathius in commentario Homero ad Dionysii, in Dionysiaco ad Homeri commentarium lectores remisit. At pri-

sium commentarios post Equitum fuisse collocatos. Sequuntur deinde ex temporis ratione Vespae et Pax, actae Olymp. 89, 2, et Ol. 89, 3, — nostras enim Nubes non Olymp. 89, 1, quod didascaliae affimarunt, actas sed partim post Olymp. 89, 4 scriptas esse, verissime contendit Hermannus¹⁾, — quarum fabularum prioris quum post Acharnenses collocatum olim commentarium fuisse ex schol. Vesp. 1195 (coll. schol. Ach. 1098) et schol. Vesp. 1206 (coll. schol. Ach. 210), item, ni fallor, ex schol. Vesp. 1386 (coll. Ach. 525) appareat, quumque commentarius ejusdem Vespas fabulae secundum schol. Vesp. 1446 (coll. Pac. 130) Paci praecesserit, manifestum est, quattuor illas comoedias hoc ordine olim fuisse explicatas: Equites, Acharnenses, Vespas, Pacem. — Proxima deinde tempore Avium fabula est, quippe acta Olymp. 91, 2, cujus commentarium proxime olim antecessisse Thesmophoriazasis posthabita temporum ratione, jure colligere videor ex schol. Thesmoph. 162 *ἐν τῷ πρὸ τούτου δράματι, τοῖς Ὀρχοῖσι, παρῶδηται κ. τ. λ.*; nam quod Dindorfius²⁾ ad tempus hoc retulit, quo Thesmophoriazasis, ut proxima post Aves, acta sit, etsi hoc per se non incredibile est scholiastam ea ratione indicare potuisse³⁾, tamen Hanovius demonstravit⁴⁾, Thesmophoriazasis, actas illas Olymp. 92, 2, post Lysistratam demum in scenam datam esse, quippe quam non dubia temporis indicia ad Olymp. 92, 1, referendam suadeant; adeo ut ne potuerit quidem commode affirmare voluisse scholiasta, quod Dindorfius si i persuasit. Sed si quaeritur, ipsum illud fabularum par quem locum in interpretatione illa continua tenuerit, certi nihil praeter id unum affirmare potero (ad quod inveniendum schol. Av. 857 (coll. schol. Pac. 916) viam monstrabat), post Pacem, ideoque etiam post Equites, Acharnenses, Vespas utramque fabulam fuisse explicatam; illud autem incertum manebit, Ecclesiazusae et Lysistrata — hoc enim ordine hae duae fabulae in sylloge olim legebantur explicatae, secundum schol. Lysistr. 801 (coll. Eccles. 303), — num ante Aves an post Thesmophoriazasis demum posita fuerint; quid quod ne illud quidem non cogitari possit, vel utramque fabulam (Eccles. et Lysistr.) vel Ecclesiazusae certe Paci praecessisse? Quod enim solum hac in

num non item ambiguum arbitror futurum esse (e. g. *λεχθήσεται*) aut ejusmodi perfectum quale hoc est: *προεῖληται*. tum caute ille adjecit, circumspiciendum quo singulorum consuetudo inclinet; quod quum nos fecimus, legitime positum in scholiis Aristophaneis perfectum vidimus; sed vide tamen §. 14.

1) Hermann. Praefat. Aristoph. Nub. p. XIII. ed. alt.

2) Dindorf. Addend. ad Aristoph. Fragm. p. III.

3) Cf. enim schol. Vesp. 60, prolatum supra p. 33 not. ult.

4) Hanov. Exercit. crit. in Comic. I, cap. 3.

re ad manus est testimonium, schol. Eccles. 361 (coll. Vesp. 155), nihil docet nisi post Vespas explicari Ecclesiazusae solitas fuisse. — Supersunt Plutus, Nubes, Ranae, longo illae inter se temporis intervallo commissae, sed in collectione tamen, cujus in scholiis ratio habita est, junctim positae; nam unamquamque ante Equites locum in interpretatione nactam esse apparet ex schol. Eq. 1011 (coll. schol. Plut. 9), schol. Equit. 1095 (coll. Nub. 1399), schol. Eq. 949 extr. (coll. Ran. 134); quem autem singulae locum tenuerint non certo scio, nisi quod hoc scio, Ranas secundum schol. Ran. 1246 (coll. schol. Plut. 143) post Plutum explicari solitas fuisse, itemque etiam post Nubes, si in tanta obscuritate conjecturae locus dabitur, quam suppediabat mihi schol. 2 ad Ran. 1298: *Μέλιτος] προεῖρηται, ὅτι τραγικός ποιητής ὁ Μέλιτος, οὗτος δὲ ἐστὶν ὁ Σωκράτη γραφόμενος*. tragicum illum¹⁾ intelligit, notatum ab Aristophane etiam *ἐν Γεωργοῖς* et *ἐν Μελαρροῖς*²⁾, itemque *ἐν Γηρυτάδῃ*³⁾, quibus fragmentis merito major in scribendo apud Aristophanem nomine auctoritas ab editoribus tribuitur in Ran. 1298 Bekk. quam codici Mutinensi apud Bekkerum, var. lect. ad Ran. l. l., eam ipsam formam subministranti, quam scholiasta tenuit⁴⁾. Sed de eodem homine disputat etiam schol. ad Nub. 617, quamquam poetam fuisse eum nec hodie ibi traditum est nec olim potuit commode in ampliore opere traditum esse. Commodissimus autem ejus memoriae locus videtur hypothesis aliqua Nubibus praefixa fuisse; quales quum etiamnum videamus de isto homine monuisse, ut Socratis accusatore⁵⁾, quidni probabile sit, in ampliore aliqua ad eam fabulam hypothesi eundem hominem fuisse paulo accuratius descriptum? Ergo ab hac quidem parte recte videor statuere posse, in schol. Ran. 1298

1) Fuit quum utrumque hominem, Melitum et Meletum, poetam tragicum et Socratis accusatorem, diversos putarem homines esse, etsi plerisque omnes (uti Hoelscherum quoque meum, de Lysia p. 68) aliter statuere videbam, praeter Groen. van Prinsterer, Prosopogr. Platon. p. 165, cui quae C. G. Cobet objecit (Prosopogr. Xenophont. p. 85. not. 46) nimis sunt levia. Vulgaris sententia imprimis videtur niti loco Platonis, Apolog. Socrat. §. 10, p. 169 Engelhardt. *Μέλιτος μὲν ἐπεὶ ὁ τῶν ποιητῶν ἀχθόμενος κ. τ. λ.* — cujus tamen vim non una ratione licet debilitare. — Sed de his quid statuendum sit, brevi, spero, demonstrabit Fritzscheius.

2) Cf. schol. Platon. p. 330 Bekk. sive Dindorf. frag. Arist. p. 101 et p. 166 (Fritzsche de Pelargis p. 44 seq.).

3) Cf. Athen. XII. p. 531, A, sive Dindorf. l. l. p. 107.

4) Eadem in scribendo varietas ubique redit; sed *Μέλιτος* dudum praetulisse Bentlejum (Respons. ad Boyle p. 167 Lemep.) monuit Cobet l. l. p. 84 not. 43. Bentleji judicium firmat Codd. Mss. auctoritas; cf. Bekker. Com. crit. in Platon. I, p. 124 med. coll. Clint. Fast. Hellen. p. XXXV not. 6. Krüg.

5) Cf. hypothes. Nub. II et IV ed. Bekk.

respici hypothesin aliquam Nubium ¹⁾; restat igitur, ut non insolitam ejusmodi provocationem in nostris esse scholiis doceam. Habemus autem simile exemplum in schol. Av. 997: *καθεύεται ὁ Μονότροπος ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ Χαβρίου, ὡς εἴρηται* ²⁾, quibus ad hypothesin Avium provocari certum est; et hodieque ista ibi servata sunt. Sed similis etiam alterum est exemplum in scholio codicis Veneti ad Pac. 252, si quidem mendo ibi libera ista sunt: *Θάσσαι ὅτι — παρατηρήσαμεν ἐν τοῖς προλαβοῦσι τὴν ἐξήγησιν*, et hunc in modum explicanda: „in eis, quibus accuratori interpretationi praelusimus, ad fabulae oeconomiam explicandam in universum,“ — quod sane fieri non potuit nisi in hypothesi aliqua, quae tamen plenior oportet fuerit, quam quales eae sunt quae in nostris extant exemplaribus ³⁾. — Quae si vera sunt, totus quo fabulae Aristophanis superstites explicatae sint ordo tali tabula describi potest, in qua quas e regione stare sibi volui fabulae de principatu inter se contendunt:

	Plutus.	—	Nubes.
			Ranae.
			Equites.
			Acharnenses.
			Vespae.
Pax.	—	}	(Ecclesiazusae.
			Lysistrata.
Aves	}	}	(Ecclesiazusae).
Thesmophor.			(Lysistrata).

§. 14.

Verum duo insuper de illo indiculo monenda videntur. Primum enim tenendum est, enumeratas in tabula eas tantum fabulas esse quae supersunt, quas continua nec interrupta serie sese excepisse nolim putes; immo probabile est, interpositas his in pleniore quam qualem nunc habemus collectione plures fuisse fabulas quae hodie desiderantur; quarum tamen locus accuratius indicari nunc nequit. — Deinde non celabo, esse a me in conficienda tabula aliquot indicia plane neglecta, quae si sequi voluissem singula, unam alteramve fabulam in alio debuisssem loco collocare, quam quo nunc in tabula comparent; sed ea indicia si jure a me

1) Poterat de schol. Ran. 1298 etiam ita statui, respexisse interpretationem ad commentarium aliquem in Pelargos aut reliquas duas fabulas. Sed quod posui facilius probatum iri puto.

2) Ita enim verissime correxit Meinekius, Quaest. Scen. I. p. 34 not.

3) Fuerunt igitur jam antiquis temporibus hypotheses cum commentariis Aristophaneis conjunctae; item, quod obiter addo, personarum indiculi, id quod colligo ex schol. Equit. I extr.

neglecta demonstravero, res erit mihi integra. Ac primum quidem ad mutandum indicem invitabat schol. Plut. 782: — *ἔστι δὲ τὸ βάλλ' ἐς κόρακας παρ' ὑπόνοιαν παραποιηθῆν ἐκ τοῦ βάλλ' ἐς μακαρίαν, περὶ οὗ ἀλλαγῶν δεδήλωται*. videbam enim de ista formula expositum esse a scholiasta Equitum 1147 nec alium praeterea in superstitibus Aristophanis fabulis extare locum, qui ad explicandam formulam commode praebere ansam potuisset; quod si sequutus essem vestigium, post Equites fuisset mihi Plutus collocanda. Sed huic tam parum deserto testimonio non tantam debebam auctoritatem tribuere, quam scholio ad Equit. 1011 quod supra jam apposuimus quodque Plutum ante Equites collocatam fuisse ita affirmat, ut stulti sit non obsequi. Quocirca de Pluti scholio aut ita statuendum, praecessisse fabulam hodie perditam, cujus respiciatur commentarius, aut, quod equidem facilius crediderim, scholiastam librum designare voluisse, ab Aristophane ejusque commentariis toto coelo diversum, fortasse aliquam *παροιμιῶν* collectionem, quarum si ulla hic revera respicitur, nullam majore probabilitatis specie respici crediderim quam Didymi. — Non plus deinde apud animum meum valere potuit schol. Vesp. 822: *Κλεώνυμος ἀθύρθμος καὶ μακρός. προεἴρηται γὰρ ὅτι φαῖλος ἦν τὴν ὄψιν καὶ κοκοσύνθετος τὸ σῶμα ὁ Κλεώνυμος*, — quae si revera ad commentarii superstitis locum aliquem referenda sunt, non possunt sane melius hodie cum ullo scholiorum loco comparari quam cum schol. Av. 1473, ut facile esset ad suspicandum, Vesparium commentarium non praecessisse Avibus, ut ipsi affirmavimus, sed aliquo eas intervallo excepisse; verum hoc quoque nimis incertum testimonium visum est, quam ut quae ex clarioribus vestigiis supra eruta est utriusque fabulae collocatio inde mutari queat ¹⁾. Idem plane statuo de schol. Vesp. 418: *περὶ Θεώρου καὶ Γοργίου ἐν τοῖς πρὸ τούτου εἴρηται*. nam etsi de Gorgia neque in Aristophane ipso neque in scholiis praeter Vesparium versum extat hodie ulla memoria nisi in Av. 1699 cum schol., multo tamen probabilius mihi visum est videbiturque, opinor, omnibus, scholiastam respici voluisse ad aliquam quae interierit fabulam, non ad Aves, quibus posteriorem quam Vespis locum nostra assignavit computato, disertis illa fulcita testimoniis. — Omnium autem minimam vim habere oportebat eos scholiorum locos, nec multos numero nec ad res admodum obscuras pertinentes, qui quum alibi jam esse exposita affirmant quae saepius redire apud Aristophanem solent, proflus incertum est, ad quamnam potissimum id genus rerum

1) Credam igitur potius, scholiastam respexisse ad schol. Acharn. 88, quamquam ei non insunt omnia, quorum schol. Vesp. l. I. meminit.

interpretationem respici jubeant: ut nihil ex ejusmodi locis colligi possit, quod ad ordinem a nobis propositum mutandum quicquam valeat; est autem inter eos locos etiam schol. Vesp. 1386: ὑπὸ πικρῶν τὰ εἰς ὄψιν πλήγματα. εἴρηται δὲ ἐν ἄλλοις ἀκριβέστερον; ubi quum aut schol. Ach. 525 aut schol. Pac. 533 aut utrumque innui putare possis, nihil impediebat, quominus ad solum schol. Ach. 525 respici crederem, quo ordo non invertitur. Alia id genus supra atigi¹⁾. — In universum autem nunc intelligitur quam pauca sint, quae tabulae nostrae formam immutatura videantur, interque ea tam pauca nullum esse testimonium, quod, si quis accurate agere velit, revera eam vim habere possit; e contrario autem multa sunt scholia, quae vel diserto testimonio vel tacite tabulam recte a nobis esse constitutam evincant; quibus scholiis quum tabulam constituerem ipse supra non usus sum, poterit autem uti, qui sublegere velit ex superiore eorum scholiorum indice quae ad alios commentarii locos lectores amandant (§. 11), in quo quae huc pertinent non omisi.

Quae quum ita sint, non mirabitur quisquam, si ita perorabo, fuisse aliquando aliquam Aristophanearum fabularum syllogen, a non ignobili profectam Grammatico, in qua singulae fabulae eo quem indicavi ordine positae fuerint, ad eamque syllogen ita sese applicasse, quicunque in scholiis nostris ista scripsit εἴρηται, προεἴρηται, δεδηλωται, reliqua, ut nunquam ab eo ordine recederet.

§. 15.

Jam vero utile erit considerare, iste ordo quatenus antiquae illi syllogae cum eis conveniat collectionibus, quas vel in Codd. Mss. vel in editionibus a recentioribus procuratis hodieque inspicere licet. Atque in Kusteri quidem editione (nam Bekkerus cum Dindorfio²⁾ temporis rationem sequutus est, certe sequi voluit, Brunckius omnino nullam) ita sese excipiunt singulae comoediae: Plutum, Nubes, Ranae, Equites, Acharnenses, Vespae, Pax, Aves, Ecclesiastus, Thesmophoriazusae, Lysistrata, — quem ordinem cum antiquo in prioribus consentire apparet, in posterioribus non item. Sed eum ordinem cur posuerit Kusterus nihil ipse monuit, ut — quum praesertim nullo uteretur codice, qui omnes fabulas contineret, — facile sit ad suspicandum, Kusterum quem ab aliquot superioribus Aristophanis editori-

1) Cf. supra p. 37 not. 1, 2, 3.

2) Nisi quod hic rectius quam Bekkerus Plutum ultimam voluit fabulam esse.

bus¹⁾ per manus traditum acceperit editionis principis ordinem fideliter servasse; ea enim si a Thesmophoriazusis et Lysistrata recesseris, tenet sane eundem fere atque Kusteriana ordinem, nisi quod Pacem post Aves posuit, quem cur Kusterus locum mutaverit, non facile dixerim. Verum ne Aldum Manutium quidem vel Marcum Musurum quicquam monuisse invenio, quo fabularum ordinem quem admiserint aliqua certe ratione se non temere ac fortuito possuisse docuerint. Hinc equidem olim eo confugiebam, ut putarem, editores principes in hac quoque re codicum manu scriptorum auctoritatem sequutos esse. Sed huic opinioni mox diffidere coepi; quamquam enim, quae erat hominum ejus temporis socordia, qua laeti inventis non duxerunt operae pretium simul inventorum fontem indicare, — quamquam igitur de codicibus, quibus utebantur illi, quidpiam suspicari velle difficile sit et errori obnoxium, habet tamen aliquam vim eorum quos novimus codicum contemplatio, quorum nullus, quatenus hic quoque per editorum accuratorem certum ferri potest iudicium²⁾, eum tenet fabularum ordinem, quem e commentariis eruimus, quemque cum sequentibus aliquot editoribus Aldus sequutus est. Namque tametsi qui tres notiores tantummodo comoedias, Plutum, Nubes, Ranas, continent codices plures inventi sunt qui istarum fabularum convenientem tabulae nostrae ordinem servant, tametsi unus alterve etiam repertus est qui quatuor priores tabulae nostrae comoedias eodem atque tabula ordine continet: tamen, si quando plures unus codex servat fabulas, repente antiquum illum ordinem mutatum videmus; maximam autem hac in re vim habet liber Ravennas, quo si non antiquiore — quod facile crediderim, — certe integrior nemo dum usus est Aristophanis codice; eum Invernizius memoriae prodidit³⁾ hoc ordine scriptas exhibere comoedias: Plutum, Nubes, Ranas, Aves, Equites, Pacem, Lysistratam, Acharnenses, Vespas, Thesmophoriazusas, Ecclesiastus, — cui ille ordini in edito quoque Aristophane

1) Juntin. II et fortasse etiam aliarum editoribus; at Juntin. I et III longe alia ratione fabulas disposerunt, hac quidem: Plutum, Ranas, Acharn. Aves, Eccles., Nubes, Equites, Vespas, Pacem.

2) Nondum enim habemus criticam aliquam Codicum Aristophaneorum descriptionem et historiam, in qua quis studuerit ex omnium codicum indole singulorum affinitatem demonstrare; qua in re collocationem fabularum rem esse non minimam facile apparet. Talem autem operam jam licet a doctissimo Fritzsche expectare; qua si ego uti potuissem, non opus fortasse fuisset multa me et grandia perlastrare volumina, quae Codd. Mss. in singulis bibliothecis asservatos enumerant et describunt, parum plerumque (ad nostram quidem rem) accurate. Horum fide dicta sunt, quae mox de ordine fabularum affirmavi; in quo negotio si errasse deprehendar, erravi invitus.

3) Invernizius, Proem. in Aristoph. p. X.

obsequutus est, Dindorfius autem etiam scholia Aldina applicavit. Inde augurari licet, quam antiquis temporibus veterem illum ordinem deserere coeperint librarii, ut non jam videatur magnopere verisimile, Aldum codicum suorum ordinem retinuisse; sed licebit quae Musurus in fine scholiorum in Aves monuit¹⁾: *ἃ δὴ σποράδην ἐν ἀντιγράφοις κείμενα διαφόροις καὶ πεφυρμένωις, συνείλεται — παρὰ Μάρκου Μουσούρου*, — in eum quoque sensum interpretari, singularum fabularum, quas quidem habuit, scholia omnia Cretensem ad eum ordinem revocasse et disposuisse, quem ipsa istis *προσείρηται, λεχθήσεται* etc. indicabant, ad eumque ipsas quoque fabulas, omissa codicum suorum auctoritate, accommodasse²⁾. — Simul autem illud audeo ob eandem causam pronuntiare, ne scholiastas quidem qui contextui interpretationem ascripsere vel antiquissimos suis in libris servatum illum ordinem invenisse, praesertim quum huic opinioni idem ille codex Ravennas non leve momentum adjiciat; in cujus codicis margine quae leguntur scholia a tali scripta sunt antiquo grammatico, qui alium plane in suis libris inventi fabularum ordinem atque quem aut liber Ravennas aut alius quispiam codex hucusque repertus monstrat; ita enim loquitur ad Thesmoph. 162. quo saepius jam usi sumus scholiō: *καὶ ἐν τῷ πρὸ τούτου δράματι, τοῖς Ὀρῖσι, παρῶδηται τὸ (Ἀλκίαιου), — καὶ ἐν Σιφῆξιν.* quae apparet ad libri Ravennatis ordinem referri non posse, quippe qui non solum Aves et Vespas ante Thesmophoriazusas collocet (ut, si ad librum Ravennatem sua accommodasset scholiasta, Vespas quoque appellare debuisset *τὸ πρὸ τούτου δράμα*), sed Thesmophoriazusis Vespas quam Aves propius admoveat, ut Vespae majore adeo jure quam Aves *τὸ πρὸ τούτου δράμα* appellandae fuissent, si codicis Ravennatis ordinem sequutus esset grammaticus³⁾. Quodsi vel in codice aliquo, qui quantum quidem conjectura assequimur Musuri codicibus fuit antiquior, commentandi ordo non conspirat cum fabularum ordine, multo etiam minus veri vide-

1) Apud. Dindorf. schol. Aristoph. (Tom. X) p. 511.

2) Interim mirum est, Musurum Pacem post Aves collocasse, non ante eas, contra disertum in schol. Av. 857 testimonium; quamquam hoc si fugisse statuis hominem, minus mira ista videbitur collocatio; Küsterum autem si non latuit, consilio fortasse ab Aldino ordine recedere potuit.

3) Non potuit ex Ravennatis libri scholiis aliud proferri exemplum, quo quod volui probetur clarius; iste enim codex caret fere ejusmodi provocationibus. Inde tamen nolim suspicari, ab antiquioribus scholiis in universum eam consuetudinem alienam esse, provocationesque illas deberi recentioribus, — qua ratione tota mea caderet argumentatio —; nam et Venetus codex servat consuetudinem et in Ravennate libro habemus unum saltem quantum nunc quidem memini exemplum, ad Pac. 973 (= Tom. II p. 75 Invernizzi.): *Μελάνθιος ἦν — τραγῳδίας ποιητῆς ὡς προσείρηται.*

bitur simile sua scholia Musurum invenisse talibus codicibus ascripta, quorum ordo fabularum indicato in scholiis ordini aequaverit.

At, inquit, quemadmodum scholiasta Ravennas¹⁾, ita reliqui quoque scholiastae potuerunt ex antiquioribus libris, qui eundem atque scholia servabant fabularum ordinem, in tales transcribi codices, qui alium sequebantur. — Audio; sed illud si verum videbitur, quo, malum, casu factum est, ut qui transcribebant, scholia quidem accurate transcribere voluerint, ipsas fabulas non voluerint; ut has certo quodam ordine aliunde transcripserint, aliunde illa sumpserint? nisi forte statuis, librarios ad unum omnes ei mirabili satis casui obnoxios fuisse, ut postquam ipsum fabularum contextum in suos libros transtulerint, tum demum nacti codicem aliquem, in quo fabularum ordini scholiorum illa ordinis indicia respondebant, eo in scholiis transcribendis usi sint. Itaque redeundum ad ea erit, quae supra posueram, ne eos quidem, qui antiquissimi aetate interpretationem fabularum contextui ascribere primi coeperint, ordinem illum, qui e scholiis elucescit, in exemplaribus Aristophaneis servatum invenisse. Jam vero vide, quid inde consequatur necessario: si in suis codicibus scholiastae alium fabularum ordinem reperiebant, quemcunque vis a tabula nostra alienum fingere, non poterant ipsi ea omnia scholia vel excogitare vel litteris primi consignare, quibus et nititur tabula et potest magis etiam firmari.

Auctoris de vita sua narratio.

Natus sum ego, Otto Hermannus Eduardus Schneider, Sundiae Pomeranorum, die XXV. April. ann. MDCCCXV, parentibus optimis Joanne Daniele, scriba aedilitio in civitate Sundensi publico, et Christina, e gente Bartholdie, cujus mortem nondum eluximus. Hi erudiendum me curarunt in gymnasio quod in patria urbe magistrorum doctrina et arte non minus quam liberalitate patronorum ad eam famam dudum rediit qua Laurentii Rhodomanni olim auspiciis gavisum erat. Inde ann. 1834 dimissus Gryphiam me contuli, ut antiquarum litterarum studia quibus dicare vitam meam decreveram toto amplecterer animo, ducibus Georgio Frederico Schoemanno et Georgio Ludovico Walchio, accuratissimae viris doctrinae, quorum alter litteris nostris prae-

1) Cf. Invernizzium, Proem. I p. XI: „praeter Aristophanis versus extat in Ravennate codice antiquissima certe, at recentiore manu scriptus grammaticus ille, qui omnibus est vetustior“ etc. scholiastam intelligit. —

matura morte nuper ereptus est. Quibus quum per biennium operam dedissem, ceteris quoque non neglectis disciplinis quae ad humanitatem propius ducunt, philosophia et historia, contigit tandem ut universitatem Berolinensem adire possem, quo dudum me Boeckhii, viri summi, fama allegerat. Et gratulor profecto mihi quod et hunc fauorem egregium nactus sim, et reliquis usus sim magistris Carolo Lachmanno, acutissimo viro mihiq̄ue imprimis fauenti, Carolo Timotheo Zumpt, Joh. Gustavo Droysen, Carolo Heyse, Theodoro Panofka, E. H. Toelken, Eduardo denique Gans: quorum ego memoriam gratissimo semper animo recolam.

Sententiae controversae.

1. Verum non est quod Niebuhrius statuit, Aborigines fuisse Pelasgos et a principio incoluisse Latium.
2. De articuli apud Homerum vi aliter iudicavit Aristarchus atque recentioribus grammaticis iudicasse visus est.
3. In Aeschyli Agamem. v. 100 Schütz. codicis Guelpherb. et Aldini exemplaris scriptura, item scholiastae explicatio eo ducunt, ut non scriptam putemus ab Aeschylō fuisse, quod hodie editiones omnes occupat, sed hoc potius: ἡ νῦν ὅτε μὲν, de quo dicendi genere cf. Herm. ad Sophocl. Ajac. 780 et ad Viger. p. 917.
4. Errant qui censionem hastariam, cuius unus Festus meminit, quandam fuisse pignoris capionem contendunt.
5. Quod Hemsterhusius statuit, veterum Aristophanis interpretum, quorum in scholiis extat memoria, alios priorem, posteriorem alios Pluti editionem interpretatos esse, falsum est.
6. In schol. Sophocl. Ajac. 190: τὸν δὲ Ὀδυσσεῖα Σιούφου συνήθως φησὶ Σοφοκλῆς καὶ ἐν Συνδέσειρω· ὃ πάντα πράσσων ὡς ὁ Σλουφος, πολὺς Ἐνδηλος ἐν σοὶ πανταχοῦ μητρὸς πατήρ — corrigendum puto: πολὺ et βατήρ vel βίτης (i. e. φθορεὺς).
7. Centuriata comitia qua ratione cum tribuum descriptione conjuncta fuerint ne nunc quidem post ingeniosam Zumptii, V. C., disputationem constare arbitror.
8. Duplicem olim extitisse Trachiniarum recensionem, et utriusque superesse in nostris codicibus vestigia, non videtur Hermannō concedendum esse.
9. In Simonidis Amorgini carmine de mulieribus v. 42 Brunck. pro: φνήν δ' ὡς πόντος ἀλλοβήν ἔχει, quod sensu cassum est, scribendum conjicio: φνήν ὡς πόντος ἀλλοβήν ἔχει, unde evadit sententia quae unice digna est Simonide et jam a Grotio indicata hoc versu: pontique rita mobiles aestus habet.
10. Ubi ars critica cessat, philologiae salus desperanda est.